0

B-I-26

FRANCISCI FICORONII

REG. LOND. ACAD. SOCII

GEMMÆ ANTIQUÆ LITTERATÆ,

ALIÆQUÆ RARIORES.

ACCESSERUNT

VETERA MONUMENTA

Ejuſdem ætate reperta,

Quorum ipſe in ſuis Commentariis mentionem facit.

OMNIA COLLECTA,

ADNOTATIONIBUS, ET DECLARATIONIBUS

ILLUSTRATA

A P. NICOLAO GALEOTTI

E SOC. JESU.

ROMÆ MDCCLVII.

Sumptibus Venantii Monaldini Bibliopolæ in Via Curſus.

Ex Typographia Joannis Zempel prope Montem Jordanum.

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/franciscificoron00fico_0

Ampliſſimo, Nobiliſſimoque Viro

MARCHIONI

JOANNI PATRITIO

SS. D. N. BENEDICTI XIV.

FORERIO MAJORI.

VENANTIUS MONALDINI.

SI quis commentarii alicujus præoptandus eſt patronus, ac vindex, illum profecto idoneum eſſe prudentiſſimus quiſque cenſebit, qui eo Scriptorum genere magnopere delectetur.

Is enim & quodnam ſit operæ pretium judicare incorruptius, & ſi quæ perperam objiciantur refellere facilius poterit. Quod cum ita ſit præclare omnino mecum eſſe actum fatear, Marchio Spectatissime, *oportet, cum* Ficoronia*narum harum* Gemmarum *patrocinium ſuſceperis. Tu enim, cum ingenuis, ac liberalibus aliis artibus, tum antiquitatis huic ſcientiæ* Te *ita deditum oſtendiſti, ut earum identidem ſpecimen dare non prætermiſeris, & qui hujuſmodi eruditione, ac doctrina præſtant, iis nullo umquam tempore intercluſum ad* Te *eſſe aditum velis, eoſdemque quotidiana fere conſuetudine devinctos habeas. Nimirum familiæ dignitatem, opes, dominatus, honores, cæteraque fortunæ bona, quibus abundas, quam qui maxime, non eo loco, ac numero habenda eſſe duxiſti, ut*

hæc

hæc alia negligeres, quæ induſtria, ac laboribus comparantur, quæque vere hominum propria ſunt. Neque Te ab horum adipiſcendorum cupiditate, atque ſtudio umquam abducere potuerunt, aut privatarum domeſticarumque rerum, aut etiam publicarum curæ, ad quas non exiguam certe, ac levem operam aſſidue conferas neceſſe eſt. Hæc profecto ornamenta cum egregia plane indole, miraque ingenii ſuavitate, atque animi alacritate conjuncta, hæc inquam ſunt, quibus charum, & jucundum Te præbes non ſolum cuivis hominum ordini, ſed etiam Pontifici Beatiſſimo BENEDICTO XIV. [*quali, quantoque Principi!*] *qui Te & ſibi continenter adeſſe voluit, & ampliſſimis muneribus, perhonorificiſque procurationibus decoravit. Quæ quidem omnia, quanti ad laudem, & amplitudinem mo-*

menti ſint, nemo eſt, qui non videat, quantumque propterea operis hujuſce, ut ita dicam, interſit authoritate Tua *quaſi fretum in conſpectum ſe dare. Ita enim fiet, ut quicquid judicio* Tuo *ſapientiſſimo probatum fuerit, improbare fortaſſe nemo audeat, illudque tamquam inane, ac leve quidpiam, minimeque profuturum exiſtimare.*

HIERONYMUS RIDOLFI
SOCIETATIS JESU
IN PROVINCIA ROMANA
PRÆPOSITUS PROVINCIALIS.

CUm librum, cui titulus: *Franciſci Ficoronii Gemmæ antiquæ litteratæ, aliæque rariores cum adnotationibus, & declarationibus* a P. Nicolao Galeotti noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtate nobis a R. P. Noſtro Aloyſio Centurioni Præpoſito Generali ad id tradita, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus.

Romæ die 27. Decembris 1756.

Hieronymus Ridolfi.

IM-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſgerens.

APPROBATIO.

JUbente Rmo Patre Sacri Apoſtolici Palatii Magiſtro attente legi librum, cui titulus: *Franciſci Ficoronii Gemmæ antiquæ litteratæ, aliæque rariores, cum adnotationibus, & declarationibus P. Nicolai Galeotti Soc. Ieſu,* in eoque nihil comperi, quod Catholicæ Religioni, aut Chriſtianis moribus ſit adverſum; & cum reperiantur in eodem antiquitatis monimenta, quæ rei antiquariæ ſtudioſis prodeſſe poſſunt, dignum propterea cenſeo, qui typis mandari poſſit. Datum in Ædibus S. Bartholomæi in Inſula de Urbe die 13. Januarii 1757.

F. Ioannes Andreas Bianchi Ordinis Minorum.

APPROBATIO.

LEgi mandante Rmo Patre Sacri Apoſt. Palat. Magiſtro librum, cui titulus: *Franciſci Ficoronii &c.* nihil in illo offendi Chriſtianæ Religioni, aut bonis moribus adverſum: immo conjecturæ ſolidæ ſunt, & multiplicis eruditionis refertæ, & lectori antiquarum rerum ſtudioſo perjucundas, atque gratas futuras pro certo habeo, ſi eas typis edi contingat. Hac die 20. Januarii 1757.

Rodulphinus Venuti.

IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Reverendiſſimi Patris Magiſtri Sacri Palatii Apoſtolici Ord. Præd.

LECTORI BENEVOLO.

FRanciſci Ficoronii in veteribus monumentis ſcrutandis, comparandiſque quanta fuerit diligentia, atque ſtudium pervulgata magis res eſt, quam ut a nobis narrari pluribus neceſſe ſit; atque ob hanc potiſſimum ſingularem antiquarum rerum cognitionem ſcripta ab eo in lucem edita ab exteris quoque nationibus tam avide expetita eſſe vidimus. Ἀνέκδοτα quædam ſupererant, quæ pariter in apertum proferre operæ pretium eſſe duximus, neque hoc injucundum harum litterarum amatoribus ſperamus fore. Ea ſunt formæ aliquot gemmarum vetuſtarum æreis lamellis inciſæ, quas ille multorum annorum ſpatio, ubi occaſio daretur, collegerat. Has autem in duas veluti claſſes partimur. Altera eſt earum, in quibus Deorum, Dearumque, Heroum, Philoſophorum, Artificum, Urbium, aliarumque rerum effigies: altera earum, in quibus notæ, atque ſigna, verba dimidiata, aut etiam integra, ſolitariæque litteræ, quas propterea litteratas gemmas nominare placuit, quemadmodum Plautus ſervum ſtigmate notatum, enſiculumque, in quo ali-

quid

quid inſcriptum eſſet, *litteratos* appellat. Litteratas autem haſce gemmas fere omnes Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Antonius Baldanus Sacræ Congregationis Aquarum, & Paludium Pomptinarum a Secretis, homo omni doctrina, & eruditione præſtans nunc poſſidet. Is vero, unâque P. Contuccius Contucci, Muſei Kirkeriani cuſtos, & amplificator benemerentiſſimus, veterumque monumentorum quam qui maxime intelligens ſingulas chryſtallina lente etiam adhibita ſæpius inſpexerunt, & diligentiſſime conſiderarunt. Itaque effectum eſt, ut qualis unaquæque gemma ſit, qualeſque litteræ, inciſæ ne, an extantes, itemque recto ne ordine, an inverſo, & ad obſignandum diſpoſitæ dijudicari certius potuerit. De pauciſſimis, neſcio quo caſu, deperditis, tale judicium ferre non licuit; quandoquidem, cujus generis qualeſque in iis eſſent litteræ noſtrûm oculatus teſtis eſt nemo, neque idipſum in ſcriptis Ficoronius reliquit. Ut autem inviſæ nobis hujuſmodi gemmæ ab inſpicientibus dignoſcantur eas appoſito ſtellulæ ſigno indicabimus. Illas vero, quæ ad imprimenda ſigilla, & litteras inſculptæ ſunt, Valerio Maximo, & antiquis jureconſultis uſitato vocabulo *ſignatorias* nuncupabimus. Præterea ubi litteræ tantummodo inciſæ ſunt, cavatoque lapillo infra ſuperficiem depreſſæ nihil admonitione

opus

opus eſſe cenſuimus; ubi vero extantes, ac prominentes, idipſum ſuis quibuſque locis notabimus. Secundam igitur claſſem hanc priore loco exponemus, utpote quam avidius ab eruditis hominibus expectatam eſſe comperimus. Utriſque gemmis breves nonnullas interpretationes vernaculo ſermone conſcriptas Ficoronus adjecit. Eaſdem latine redditas dabimus correctas, ubi opus eſſe viſum fuerit, atque auctas. Quo quidem in exequendo opere, quicquid minus abſurde dictum exiſtimare poterit, id magna ex parte rerum antiquarum viris peritiſſimis, quos iterum honoris cauſa nomino, Baldano, & Contuccio acceptum me referre debere, ingenue fatear neceſſe eſt. Interim ſi quid utilitatis ex hoc labore, induſtriaque noſtra conſequi te poſſe ſperas, utere amice Lector, & fruere.

Errata.		*Corrige.*
Pag. 10.	unum	unam
11.	*& alibi* veroſimile	veriſimile
18.	aliquid ſi	aliquid : ſi
33.	Ptolemei	Ptolemæi
54.	*amovendo*	*a movendò*
56.	vives	vivas
64.	crederem	crediderim
69.	affert	afferunt
76.	שלן	שלו ſic
80.	oculis	oculos
89.	defoſſum	effoſſum

PARS I.

VBI

GEMMÆ ANTIQUÆ LITTERATÆ

SIVE

In quibus vocabula plerumque, & litteræ inſcriptæ ſunt.

TABULA I.

1. MVLTIS ANNIS. In Sarda litteris extantibus. Acclamatio, qua diuturnam vitam alter alteri precabatur.

Da ſpatium vitæ, da multos Juppiter annos,
De noſtris annis tibi Juppiter augeat annos [a].

Sic Imperatoribus acclamari ſolitum, cum congiarium darent. Teſtis eſt Tertull. in Apolog. c. 35.

A 2. PV-

a *Juven. Sat.* 10.

2. PVDEA. In Sarda. Deſideratur, ut opinor, T, ita ut ſit *Pudeat*. Exprobratio amantibus frequens

Ah pudeat, certe pudeat, niſi forte, quod ajunt,
Turpis amor ſurdis auribus eſſe ſolet [a].

3. PATIENTIA. In Sarda. In Inſcriptionibus invenitur *Patiens Auguſti Libertus*. In Martyrologio *Patientia* nomen eſt S. Mulieris. Hic fortaſſe *Patientia* nomen eſt multorum commune, ſive, ut Grammatici loquuntur, appellativum; quo admonentur amantes patienter multa ferre oportere; & ad præceptum hoc memoria retinendum potuit tale vocabulum in anulari gemma eſſe inſculptum. Huc facit illud Ovid. in Ep. Acontii ad Cydippen.

Cum bene ſe quantumque volet ſatiaverit ira,
Ipſa tibi dices, quam patienter amat!
Ipſa tibi dices, cum videris omnia ferre
Tam bene qui ſervit, ſerviat iſte mihi!

4. FRUOR. In Sarda. Si quis mihi affirmaret gemmam hanc ad Epicureum aliquem pertinuiſſe non contradicerem. Hujuſmodi enim Philoſophi felicitatem hominis, in corporis voluptate ſitam eſſe cenſebant. Cæterum verbo illi *fruor* nihil hic fortaſſe ſubauditur; in eamque ſententiam illud accipi poſſe credo, in quam Cic. dixit lib. 9. ep. 17. *Nihil tamen timeo: fruor, dum licet, opto, ut ſemper liceat*.

5. AMO TE AMA ME. In Sarda litteris extanti-

a *Prop. l. 2. e. 16.*

tantibus. Gemma, ut opinor, dono data, quemadmodum etiam duæ, quæ ſequuntur.

Ut præſtem Pyladen, aliquis mihi præſtet Oreſtem;
Hoc non fit verbis, Marce, ut ameris, ama [a].

6. AMOR MEVS * Invenitur *Amor* etiam nomen propr. viri in Inſcriptionibus. Hìc tamen videtur eſſe appellativum, & ſubſtantivum, ut ajunt appoſitum, quo amans amorem erga amatum declarat. Sic apud Virg. Eclog. 7. *Nymphæ noſter amor*.

7. LIBOSAE CONIVGI. In Sarda litteris extantibus. Viri nomen, qui dono gemmam hanc uxori ſuæ Liboſæ dedit, ſubticetur. *Libuſa* reperitur in Inſcriptionibus Murator. pag. MDCLIX.

8. CVCVNELA. In Sarda litteris extantibus. Dubitavi primum an legendum eſſet *Cucumella*, quaſi diminutive dictum a *Cucuma*. Rerum enim aliquando etiam inanimarum nomina virorum, & mulierum evadunt propria. Sed vere in hac Sarda inſcriptum eſt *Cucunela*. Tale nomen alibi utique non inveni, ſed quis umquam poſſe ſperet plebejorum, & proletariorum quorumcumque nomina reperiri?

9. BAROSE RECTE. In Sarda litteris extantibus. Formula hic contineri videtur, qua gemmæ hujus donator Baroſo amico ſuo felix aliquid fauſtumque vel optet, vel gratuletur, perinde ac ſi diceret *recte valeas, recte fac, vel recte feciſti*. Pueri quoque, inquit Briſſonius, dicere erant ſoliti: *Rex eris ſi recte facies*, qua de re vide Horat. ep. 1. l. 1. Hoc ipſum

a *Martial. l. 6. epig.* 11.

Baroſi nomen invenio inter Initiales Collegii Silvani Aureliani, ubi gladiatores plures numerantur, quorumque nomina in antiquo nuper effoſſo marmore ſunt inſculpta. Gladiatoriam hanc Inſcriptionem pereruditi viri D. Abbas Rudolphinus Venuti, & D. Dominicus Joſeph Scutillo J. U. D. doctiſſimis interpretationibus illuſtrarunt.

10. HAVE. In Sarda litteris extantibus. *Have*, pro *Ave* ſæpiſſime in antiquis monumentis; quorum non pauca affert Manutius in Orthographia.

11. EGREGINIO ⁎ Nomen proprium viri, ad quem annulus miſſus. *Græcinus*, & *Græcidius* nomina frequentia ſunt. *Egreginius* non item.

12. SPES. In Sarda litteris extantibus. Spes amantium, & calamitoſorum hominum ſolatium eſt; quare ad illam excitandam in eo, qui gemmam hanc geſtaturus eſſet, fieri poteſt, ut in eâ verbum hoc ipſum inſculptum fuerit. Invenitur tamen *Spes* etiam nomen proprium muliebre, quo nomine Boetii uxor appellabatur, quemadmodum apud Græcos Ἐλπίς, & litteris etiam Latinis *Helpis*.

13. MASACRE VIR HONE. In Sarda litteris extantibus. *Veterum Chriſtianorum mos fuit*, inquit Cl. Buonarruoti de vitris Antiq. Tab. 24. Fig. 2., *pias aliquas acclamationes in annulis inſculpendas curare, eoſdemque annulos cadaverum digitis indutos relinquere*. Rei autem hujus exemplum ponit Sardam ab ſe viſam, ubi legitur *Roxane DBQVESQVAS*, hoc eſt, *Roxane dulcis bene quieſcas*. Sardam hanc noſtram ad unum ex hiſce annulis pertinere neque ajo, neque nego. Hìc certe

certe laus aliqua contineri videtur, & quidem ab eo profecta, qui acclamantis in modum illam tribuat; ſuppletis enim paucis litteris, quas utique divulſum a gemma fragmentum omnino caperet, legi poſſet *Maſacre virgo honeſta*, vel etiam *Maſacre vir Honeſte*.

14. Gemma, cujus planities figura eſt exagona, intra quam columba, & circa columbam inſculptum SI AMAS VENI * Donum amantis amati, vel amatæ præſentiam optantis. Votum hoc amatoribus uſitatum, ut apud Ovid.

Nil mihi reſcribas; attamen ipſe veni.

Quod ad columbam attinet ſcitum eſt, eas amoris eſſe ſymbolum, utpote, quæ fecundæ ſunt, binæ volitant, & invicem complectuntur, ac veluti ſuaviantur, ut Antonii Auguſtini verbis loquar [a]. Cl. Præpoſitus Venuti in Diſſertatione *ſopra alcune Gemme antiche letterate*, Achatem ex Muſeo ſuo profert, ubi plura Græca vocabula inciſa ſunt, quorum prima ſunt hujuſmodi: εἴ φιλεῖς κολάκευε: *ſi amas adulare*.

15. Duplex gemmæ facies: in altera HCCX; in altera Luna cum Stellis quinque * Multa in veterum gemmis reperiuntur ſigna, arcanorum videlicet vocabulorum, vel ſententiarum initia, aut etiam numerorum notæ, per quas Abraxeorum præſertim ſuperſtitionibus imbuti homines ſenſa mentis invicem indicarent. Ex iſtiuſmodi gemmis hanc eſſe unam Cl. Baro Philippus Stoſchius exiſtimavit. Quamobrem ſi quis eam interpretari conaretur, idem plane eſſet, ac velle argu-

a *Antiquit. Rom. Dialog. V.*

argumentis, ratiocinationibuſque adhibitis ſomnia delirantium exponere. Quod attinet ad Lunam, & Stellas quinque, olim ſaltem ab aliquibus in Planetarum numero ſolum quinque ſtellas fuiſſe habitas, neque inter eos Solem, ac Lunam numeratos fuiſſe liquet ex Hygino, qui lib. 2. caput ſic inſcribit: *De quinque Stellis*. Poſtea de illis diſſerens; *Reliquum eſt*, inquit, *nobis de Stellis quinque, quas complures, ut erraticas, ita Planetas Græci vagos dixerunt, quarum una eſt Jovis nomine Phaeton &c.* Licet igitur hîc conjecturam facere Lunam inſculptam hic eſſe una cum Planetis minoribus (quandoquidem aſpicientibus minores apparent). Cæterum Luna in nummis æternitatem, perpetuitatemque ſignificat. Eam amantes, ſi fœminæ eſſent, implorabant, ſicuti Solem ſi mares: teſte Pindaro [a].

16. VERECVNDVS. In Sarda ſignator. Nomen proprium viri frequens in antiquis marmoribus, idemque in Jaſp. rub. inciſum ex Dactyliotheca Medicea profertur a Cl. Ant. Franciſco Gorio in Muſeo Florentino.

17. TESAYRICVS. In Sarda. Y ſæpe pro V in veterum ſcriptis. Poſt T deſideratur H, ſed hoc etiam ſæpe. Quare legendum *Theſauricus*.

18. CP. In Onyche ſignator; neſcio an prænomen & nomen, v. g. *C. Petronius*.

19. HILARVS. In Sarda ſignator: nomen proprium viri, & ſæpe invenitur.

20. COETE. In Sarda ſignator: nomen, ut opinor, proprium muliebre *Coete, es*. In maſculino genere apud Gruterum pag. DCII. eſt *Coetus Herodianus*.

21. ATI-

a *Vide Rhodigin. lib. 5. cap. 7. Lection. antiquar.*

21. ATIMETI AV. In Sarda ſignator. Invenitur Atimetus Auguſti Libertus, Atimetus alius ſervus Ciceronis fuit. Sed qui caſus *Atimeti*? Caſus ne vocandi? Sed ab Atimetus deberet eſſe *Atimete*. Verum in Indice eorum, quæ ad rem Grammaticam pertinent, idem Gruterus, ſæpe I pro E eſſe poſitum oſtendit, ut *Dumni* pro *Dumne* pag. DCXXVIII. *Eromini* pro *Eromine* pag. DCCCCLXXXII. Ergo nihil obeſt, quominus legamus *Atimete Ave*. Abſonum tamen rationi eſſe cuipiam videbitur, epiſtolam Sarda hac obſignantem in ſingulis ſigillis Atimeto neſcio cui ſalutem dicere voluiſſe. Quare ſi hæc interpretatio non placet, hanc aliam proponam. Ab Aldo Manutio Paulli F. in ſua Orthographiæ ratione AV invenio ſic explicatum AV, *Aucus*. Si hæc explicatio probetur, legi ſic poterit Atimeti Auci, caſus patrius nominis ejus, qui ad obſignandum hac gemma uteretur.

22. DAMA. In Jaſp. rub. ſignator. Damas eſt nomen proprium virile, & invenitur etiam apud Horatium [a]: *Ergo nunc Dama Sodalis nuſquam eſt*, & in Inſcriptionibus. Et in iiſdem reperitur etiam DAMA in caſu recto, quemadmodum eſt in hac gemma. Exemplum eſt etiam apud Gruter. pag. 991. 13.

P. RABINIA. P. ET. Ɔ L. NVPTA P. L. RABINIVS DAMA RABINIA P. ET. Ɔ L. PRIMA.

A Da-

a *L.* I. *Ser. ſat. V.*

A Dama Damaſum Cl. Buonarroti deductum fuiſſe opinatur [a].

23. EDCORVS. In Onyche ſignator. Si perturbatæ fuiſſent litteræ ſcalptoris vel negligentiâ, vel inſcitiâ, ita ut legendum ſit *Decorus*, nomen haberemus vulgatius & notius. Erratorum hujuſmodi ſpecimen vide apud Gruter. Pagina enim DLXXIV. I. eſt *Verecundus*, & eadem pagina 7. eſt *Verdecunus*.

24. FAVSTI. In Onyche ſignator. Fauſtus nomen proprium virile: invenitur ſæpe.

25. MVSICVS. In Jaſp. rub. *Muſicus* viri nomen proprium hìc eſſe arbitror. *Muſicinus* eſt certe nomen S. Martyris inſculptum in tabula marmorea, qua loculus olim clauſus, ubi ſacrum ejus corpus conditum fuerat. Utrumque nunc domi ſuæ Illmus Præſul Taſſonus aſſervat.

26. MCLNMSPC. In Jaſp. virid. Litteræ priores ſignificare poſſent amici nomen, qui munus mittit; poſteriores amici nomen, ad quem munus eſt miſſum, v. g. *M. Claudius Nicon. M. Spedio Calliſto*, vel e contrario. Apud Gruterum pag. XII. eſt etiam cognomen hoc *Speclatus*.

27. CCKIC. In Jaſp. rub. Veroſimile eſt K eſſe poſitum pro X. Tunc notæ illæ indicarent numerum 289. Detractis enim undecim ex tertio centenario, 289. ſuperſunt. Sed quorſum in hoc Jaſpide ſit inſculptus, divinare non poſſum. Vide, quæ diximus Tabulæ hujus num. 15.

28. T R. In Sardonyche ſignator. Notæ fortaſſe

a *In vitr. antiqu. Tab.* 19. *Fig.* 3.

ſe compendiariæ trium vocabulorum, quarum duæ priores ſimul coaleſcunt; prænominis, nominis, & cognominis, exempli cauſſa *T. Fiſuvius Romanus*, ut eſt apud Gruterum pag. CXXVII.

29. COMVNIS. In Onyche ſignator. Invenitur ſæpe, & eſt nomen proprium virile, & ſervile; ſed ſcribi ſolet cum duplici M.

30. AVXILI. In Onyche ſignator. Caſus patrius a recto *Auxilus*, vel etiam *Auxilius*; ſæpiſſime enim in antiquis monumentis videas prætermiſſum alterum I, etiam ſi rectus deſinat in IVS, de qua re Lectorem, qui hæc neſciret, ſemel præmonitum eſſe oportet. Aliæ enim hujuſmodi Apocopæ tum in gemmis hiſce, tum in marmoreis, æreiſque monumentis occurrent.

TABULA II.

1. MVSIS. In Sarda ſignator. Sæpiſſime accidit, ut V ponatur pro Y. Quare legendum hic puto *Myſis*. Eſt autem nomen proprium muliebre ſatis notum. *Myſis* enim ancilla eſt perſona comica apud Terentium.

2. LDPAP. In Jaſp. virid. ſignator. Obſignantis fortaſſe prænomen, nomen, & cognomen, v. g. *L. Domitius Papias*.

3. HILARI. In Jaſp. rub. ſignator. Genit. ab *Hilarus*, vel etiam *Hilarius*: vide quæ diximus Tab. I. num. 30.

4. DA MIKAЄ VICTORIA. In Jaſp. rub.

Perſpicuum hic eſt mutilata eſſe duo vocabula, legendumque *Da Mikael victoriam*. In Baſilidianorum, & Abraxeorum Amuletis ſæpe nomina Angelorum invenias. Hanc tamen gemmam eſſe unum ex illis ſuſpicari non audeo. Etenim S. Michaelis nomen & eſt in ſacris litteris celebratum, pro obtinendaque victoria recte ejus auxilium expoſcitur, utpote qui tumultuantes in cœlo copias virtute Dei fretus mirabiliter profligavit, ac fudit. Quædam vero alia nomina Sacrorum Conciliorum, Summorumque Pontificum decretis proſcripta ſunt: Zaccharia Pontifice Adebertus Hæreticus anno ſal. 704. in Romana Synodo damnatus etiam eſt, quod invocaret ignota Angelorum nomina cujuſmodi erant Uriel, Raguel, Tubuel, Inias, Tubuas, Sabaoch, Simiel. Quibus de nominibus Romana Synodus hæc pronunciavit. *Non enim nomina Angelorum præter nomen Michaelis, ſed nomina Dæmonum ſunt, quæ in ſuis orationibus invocavit ad præſtandum auxilium ſibi. Nos autem, ut a veſtro ſancto Apoſtolatu edocemur, & divina tradit auctoritas, non pluſquam trium Angelorum nomina cognoſcimus, ideſt Michael, Gabriel, Raphael* [a].

5. CCIXC * Hæ notæ conficiunt numerum 291.

6. Chimæra, quam vocant, ex humano, ſuilloque capitibus conſtans, infra quam M. A. D. In Jaſp. rub. ſignator. Poſſunt eſſe ſigla alicujus prænominis, nominis, & cognominis, v. g. *M. Aurelius Dionyſius*, ut apud Gruter. pag. MCXXXIX., vel *M. Aurelius Domitianus*, ut apud eumdem pag. DLV. 3.

7. For-

a *Vid. Natal. ab Alexand. ſæcul.* 8.

7. Formica cum alis expanſis, & quidem in ſuperiore habens A, in inferiore S. In Sarda. Formica providentiæ typus, ut eſt apud Horatium L. 1. Sat. 1. Quare F & S, niſi ſint prænominis, & nominis cujuſpiam initia, poſſet aliquis interpretari notas eſſe compendiarias horum duorum vocabulorum *Felicitas*, & *Salus*. Ex providentia enim Salus, & Felicitas conſequuntur.

8. Gallus cum litteris PCPS ad perpendiculum a latere diſpoſitis. In Sarda ſignator. Cum inverſo ordine litteræ ad obſignandum inſculptæ fuerint, veroſimile eſt eas eſſe prænominis, nominis, cognominis, & agnominis initia, v. g. *Publius Calpurnius Pudens, Sentinatianus*, qui Galli ſigno in obſignando uti conſueverit.

9. Luna cum Stellis quinque. Circa eam TALISVA. In Onyche ſignator. Τάλις Τάλιδος eſt Nymphæ nomen, & ſignificat etiam *Virgo deſponſa*. In Inſcriptionibus apud Murator. pag. ccccxxxvi. invenitur *Talis* nomen proprium gen. maſcul. Igitur poſſet quis explicare, o *Talis vale*; ſed cum gemma hæc ſit ſignatoria, non intelligo quomodo obſignans epiſtolam, *Talem* debeat quemlibet appellare; quare dubitavi primum an fuerit nomen proprium mulieris *Taliſua Taliſuæ*. Deinde illud occurrit Τὸ V poni ſæpe pro Y, & ipſum etiam Y pro I. Tunc autem eſſet *Taliſia Taliſiæ* cum maſculino *Talis* aptiſſime congruens, vel quaſi a Τάλις Τάλιδος derivatum. De Luna, & Stellis antea diximus Tab. I. num. 15.

10. Signa cœleſtia Arietis, Tauri, & Geminorum.

Supra eadem AVG, infra TAV. In Achate ſignator. Signa illa Veris tempus deſignant, quo quidem tempore Sol Arietem, Taurum, Geminoſque percurrit. In Inſcriptionibus invenitur *Taurus Auguſti Libertus*. Sed Tò *Aug.* poteſt eſſe nota aliorum vocabulorum *Auguſtalis Auguſtiani*, quod poſtremum affertur a Sponio pag. 221.

11. Piſces duo, inter quos HERMES. In Sarda. Hermes græce idem eſt ac Mercurius. Hoc tamen nomine appellatos multos mortales invenimus. Nam apud Martialem eſt Hermes Medicus [a], Hermes Gladiator inſignis [b], & in Inſcriptionibus Hermes Libertus, Hermes Auriga &c. Piſces gemini ſunt unum è cœleſtibus ſignis, & Hermetis ipſius, vel alterius Horoſcopum fortaſſe indicant. In hac aliiſque quibuſdam gemmis litteræ non ſunt inverſo ordine inſculptæ, contra quam factum eſſe oporteret, ſiquis iiſdem ad obſignandam epiſtolam uti vellet, & ex alia parte hunc præcipue habuiſſe uſum videntur illæ, ubi in caſu recto, aut patrio nomina propria virorum, & mulierum inſcripta ſunt. Sed hoc aliquando etiam in æreis inſtrumentis quibuſdam contigiſſe vidimus, quæ vulgo Sigilla nominantur, idque ob artificum inſcitiam, vel etiam oblivionem, & incuriam. Exemplum habemus in Muſeo Kirkeriano. In uno enim ex hujuſmodi inferioris ævi ſigillis, quæ ibidem aſſervantur, recto ordine ſequentes litteræ ſunt diſpoſitæ CELSINVS V C II PRAEF VRBIS ROMAE.

12. Formica. Supra eam BONA: infra vero MEN-

a *L. 5. ep. 50.* b *L. 5. ep. 25.*

MENTE. In Sarda ſignator. Formica, ut antea dixi, animalculum eſt maxime providum, & providentia ipſa bonæ mentis indicium. Qui eſſent eà præditi, iis potiſſimum, teſte Horatio [a], Mœcenas delectabatur: *paucorum hominum, & mentis bene ſanæ*. Votum igitur eſſe quaſi quoddam ſcribentis videtur, quo ei, ad quem ſcribebat, bonam mentem optaret, vel etiam formula, qua ſe quicquid ad eum ſcriberet, bona mente ſeſe ſcribere profiteretur.

13. Muſca. Circa eam SENTOR. In Sarda ſignator. Nomen utique non admodum frequens, niſi poſt S putemus prætermiſſum eſſe T, ita ut inſculpendum fuiſſet *Stentor*. Muſca illa ad arbitrium opinor ſcalptoris inciſa: quamquam & muſcis a veteribus aliquis honor eſt habitus, illarumque imaginibus Bœotiorum nummos ſignatos reperias.

14. C EGNATI. In Sardonyche ſignator. Caſus patrius pro *Egnatii*: nomen hoc memoratur etiam a Cicerone, & inter Familias Romanas numeratur Egnatia, cujus ab Urſino, & Vaillantio plures afferuntur denarii.

15. SPE Ɛ BM. In Jaſp. rub. ſignator. Formulam hanc in obſignando adhibere ſolitus viſus eſt ſibi, & aliis præceptum ad vitam honeſte traducendam perutile commemorare voluiſſe. Facilis enim, & commoda notarum iſtarum interpretatio, ſi dicamus legendum eſſe *Spe, & Bona Mente*, quæ utique, ut conſideranti patebit, magna ſunt ad honeſte, beateque vivendum præſidia.

16. SE-

a *L. 1. Sat. 9.*

16. SECVNDA. In Jaſp. virid. Nomen propr. mulieris ortum a numero ordinali, quem vocant. Inveniuntur etiam *Prima*, *Tertia*, *Tertulla*, *Quarta*, *Quartilla*, *Quincta*, *Quinctilia*, *Quinctulla*, *Sextia*, *Septimia*, *Octavia*, *Nonia*, & *Decimia*.

17. EVCARI. In Sarda ſignator. Nomen proprium virile ab *Eucharus* caſu recto; in *Eucari* prætermiſſum eſt H poſt C, quod ſæpe invenias in Inſcriptionibus. Etenim *Eucharus* manat a græco Εὐχάριστος, *gratus*, quod ab εὖ *bene*, & Χάρις *gratia*.

18. FL PR. In Jaſp. rub. ſignator. Haud ſcio, an ſint nominis, & cognominis alicujus initia, v. g. *Flavius Primitivus*.

19. Equus paſcens, circa quem SEX. POM. BACCHI. In Jaſp. virid. ſignator. *Sexti Pompeij Bacchi*. Ex equi illius effigie non temere conjicere poſſumus Sex. hunc Pompejum unum fuiſſe ex Aurigis, vel Agitatoribus in Ludis Circenſibus; quandoquidem apud Panvinum Pompeij cujuſdam mentio eſt, qui eo munere fungeretur.

20. Equus cum palma erecta * Victoriam fortaſſe indicante in Ludis Circenſibus reportatam.

21. Equus gradiens, ſupra quem TVR. In Sarda. Multa nomina per ſyllabam *Tur* inchoata reperias, *Turpilius*. *Turbius*, *Turcilius*, *Turellius*, *Turia*, *Turius* &c. cujuſcumque ex iſtis nomen ſit in hac Sarda, poſſet aliquis opinari nomen eſſe alicujus Agitatoris, vel Aurigæ, ſed non id pro certo affirmare.

22. Equus item gradiens, ſupra quem PROTOGENIS. In Sarda ſignator. Unum, & alterum ex

Agi-

Agitatoribus, & Aurigis hoc eodem nomine appellatum apud Gruter. invenies pag. cccxxxviii. num.2.& 3.

23. RVFI, quod vocabulum palmæ ramus interſecat. In Onyche ſignator. Palmam hanc fortaſſe Rufus neſcio quis in Ludis Circenſibus victor acceperat.

24. Palmæ ramus, ſupra quem CALOS, infra ACTI. In Chryſtall. antiq. ſignator. Videtur caſus patrius a *Caloſactus*, vel etiam *Caloſactius*.

25. Palmæ rami duo jacentes; inter utrumque TERTI, in altera lapilli facie CN CAT. In Sarda ſignator. Inter Romanas Familias numeratur etiam *Catia*. Et in Inſcriptionibus leguntur plures hoc nomine appellati addito etiam cognomine *Tertius*, & *Tertia*. Apud Gruterum pag. mxlii. 3. eſt *M. Catius M. F. Tertius*, & pag. dcccxxxix. 13. *Catiæ Tertiæ*. Quare nihil dubito, quin in hac noſtra Sarda legendum ſit *Cn. Catius Tertius*, ubi animadvertendum nomina numeralia eſſe aliquando loco prænominum poſita.

26. Stellæ ſeptem intra palmeam coronam; in altera lapilli facie Laurea, intra quam X. In Sarda. Nota illa X numerus fortaſſe victoriarum in Ludis, quas Stellis acceptas veteres referebant.

27. Laurea, intra quam KAATHAIC; in altera lapilli facie CЄPHNOY. In Sarda ſignator. *Caja Atelis*, nomen proprium fæminæ *Atelis* ab ἀτελὴς, έος ὁ, ἡ *inanis*, *imperfectus*. Facile autem irrepſit A pro Λ, cujus rei in antiquis monumentis exempla ſunt plura. Quamquam poteſt etiam ſic explicari KAIAC ATHΛHS, *Cajæ Ateles*. Tò autem CЄPHNOY, hoc

eſt

eſt *Sereni*, eſt nomen proprium viri, cujus Atele filia ſit, vel cui nupta fuerit. Sic ad S. Sebaſtiani in vetuſto elegantiſſimo illo ſepulchro

Cæcilia Q. Cretici F. Metella Craſſi.

Certe apud Græcos caſu patrio nomen alterutrius parentis frequentius effertur, ut eſt apud Cl. Sponium [a]

ΝΙΚΩΝ ΑΓΑΘΩΝΟΣ
ΧΑΙΡΕ.

Nicon Agathonis Fili Ave.

D. Præpoſitus Philippus Venuti Patricius Cortonenſis & Academicus Hetruſcus in Diſſertatione de quibuſdam antiquis litteratis gemmis, præſertim græcis, Heliotropium affert, quam gemmam apud Cl. Baronem Philippum Stoſchium extare dicit. In ea autem hæ litteræ majuſculis tamen characteribus inciſæ, τροφίμȣ σελών𝜂 τύχη γυβέρνȣσα ; ubi pariter Selene Trophimi ſponſa eſſe ſignificatur.

28. Laurea intra quam palmæ ramus jacens: in altera lapilli facie Muſculus Ludibundus pomum rodens. In Sarda. Murium ſimulacra antiqua non pauca reperta ſunt. Nonnulla extant in Muſeo Kirkeriano, quorum duobus, uni argenteo, alteri æreo anſula adjecta eſt, qua tamquam aliquid votivum, ut eruditis quibuſdam hominibus viſum eſt, ad Apollinis Smynthei aram ſuſpenderentur. Apollinis Smynthei, hoc eſt Murium interfectoris fabula notiſſima eſt apud Mytho-

a *Miſcell. erud. antiquit. pag.* 330.

Mythologos. De ea vide Euſtathium Homeri interpretem, & Arnob. l. 3.

TABULA III.

1. PAlmæ ramus jacens, ſupra quem SALVS, infra RESTITVTA. In Sarda ſignator. Etiam victoriam ex morbis reportatam palmæ ſigno aliquando indicatam fuiſſe oſtendit Cl. Boldettus æream lamellam afferens, in cujus latere inciſus eſt palmæ ramus, in medio vero hæc Inſcriptio:

PRO SALVTE
IMP CAESARIS
M AVRELII SEVE
RI ALEXANDRI
PII FELICIS AVG

Quare etiam in hac noſtra gemma inſcripta verba ſalutem, ſeu valetudinem reſtitutam ſignificare poſſunt, propterea quod ex aliquo gravi morbo illius poſſeſſor convaluiſſet.

2. Palma, & corona. In Sarda. Utrumque poteſt eſſe victoriæ ſignum, quemadmodum in ſequenti.

3. Corona, intra quam palmæ ramulus *.

4. Sertum. In Sarda. Coronæ iſtiuſmodi, atque palmæ viſuntur perſæpe etiam in SS. Martyrum ſepulchris modo pictæ, modo etiam inſculptæ. Exempla profert Cl. Buonarruoti [a], Boſius item, Arringhius, Boldettus, & alii. C 6. Co-

a *Oſſerv. de' Vetri antich.*

6. Corona, ut videtur, oleagina, intra circulum; intra vero ipſam coronam palma erecta ex uno latere, ex alio P. In Sarda. Comminiſcar plane aliquid ſi P eſt *Rhò* græcum, notare poteſt aliquem numerum victoriarum. P enim apud Græcos ſignificat 100. Poteſt etiam eſſe initium vocabuli, v. g. Ῥώμη latine *robur*, vel alterius. Si vero eſt P latinum, poteſt eſſe pariter initium alicujus nominis proprii, ſed omnia vere ſunt incerta, conjecturæque omnino leves.

7. Corona laurea, intra quam palma. In Sarda.

10. Alia item, intra quam A. In Jaſp. rub.: hoc eſt, niſi fallor, *Ave*, vel *Aulus*.

11. Corona item alia, intra quam vaſculum neſcio quod utpote ab artifice minus eleganter inſculptum. In Smaragdo.

12. Corona item alia oleagina concluſa intra circulum. In Sarda.

13. Corona palmea, intra quam palmæ ramus *.

14. Laurea, intra quam palmæ ramus, ipſa vero intra circulum. In Sarda.

15. Laurea alia intra circulum: intra vero lauream ipſam corona palmea longe anguſtior, ac brevior. In Sarda.

16. Corona ovalis figuræ intra circulum; intra vero eam palmæ ramus, circa quem a læva GR, a dextera PF. In Sarda ſignator. Hæ duæ compendiariæ notæ indicare poſſent nomen obſignantis, & nomen Patris ipſius hoc modo, v. g. *Gratidius*, vel *Gratidianus Publii filius*.

17. Corona ſatis ampla intra circulum, intraque eam

eam palmæ ramus hæc duo nomina interſecans RENE HERMES. In Sarda ſignator. Invenitur ſæpe Irene nomen proprium muliebre, nunc etiam *Rene*, ſicut apud Muratorium *Rine* pag. MMXLVII. *Hermes Hermetis* eſt nomen proprium virile notiſſimum. Poſſunt igitur in primis eſſe hîc duo caſus recti: *Rene* & *Hermes*, uxoris puta & viri nomina, qui epiſtolas, quas mitterent, communiter obſignatas eſſe voluerint. Deinde invenitur etiam *Herma Hermæ* gen. fæm., quod nomen græco more ſic inflectitur *Herme Hermes*. Cur igitur non poterit ſic legi: *Rene Hermes*, hoc eſt, *Rene* filia, vel ſerva, vel liberta *Hermes*?

18. Laurea intra circulum, intraque eam M IVLI. In Amethiſt. albicante ſignator, hoc eſt *M. Julii*,

19. Laurea alia intra circulum, intraque eam ΠΑΝΤΑΚΑΛΟS. In Plaſmate ſmaragdino ſignator. *Pantacalus* nomen propr. virile compoſitum ex πάντα: hoc eſt *omnia*, & καλὸς *honeſtus*, quaſi *in omnibus honeſtus*. Littera poſtrema eſt S latinum pro græco C, vel Σ, ſcalptor ſe græce ſcribere oblitus, unum pro altero poſuit. Hoc Romanorum Imperatorum tempore accidebat ſæpe ob utriuſque linguæ confuſionem, atque mixtionem, idque non modo in una, & altera tantum littera, ſed in ipſis integris vocabulis. Exemplo ſit hæc Inſcriptio in Muſeo reſtituto a P. Bonanni.

D M S IVLIAE SEVERAE KYRI ΑΓΑΘΗ &c.

 20. Co-

20. Corona querna intra circulum, intraque illam ſupra VI., infra MX. In Jaſp. rub. Cum apud Gruterum pag. CCCXXXI. legatur Diocles ille agitator plurimas in procurſionibus victorias conſecutus fuiſſe hac formula, v. g. vicit CCCLXXXVIII. & ſimilibus: cogitare cum animo meo cæpi, in gemma hac quoque noſtra compendiariis hiſce notis hujuſmodi victoriarum numerum ſignificari, quarum memoriam retinere victor voluerit, vel cujus monumentum voluerit apud victorem extare amicus, qui ei gemmam hanc dono dederit, ita ut legendum ſit *Vici*, vel *Vicit Millies*, *&* *Decies*.

21. COMINIA CLOE. In Sarda ſignator. Nomen, & cognomen muliebre. Serva, ut puto, fuit ex Familia Cominia, cujus non ſemel mentio eſt apud Livium. Deducitur fortaſſe ſecundum nomen a Χλόη, quod eſt *gramen*, *herba virens*. Quapropter ſcribendum eſſet cum aſpiratione *Chloe*; ſed utroque modo in antiquis Inſcriptionibus invenitur.

22. Laurea, intra quam Q. AP. In Sarda ſignator. Prænomen, niſi fallor, & nomen, v. g. *Q. Apronianus*, *Q. Aper*, vel prænomen, nomen, & cognomen, ut *Q. Alatus Proculejanus*.

23. A extans ex gemmæ ipſius materia, ſed candefactum. Videtur coaleſcere littera hæc ex duabus A & V, interpretandaque *Ave*, perinde ac ſi qui munus mittit, ei ad quem mittit, ſalutem perpetuam dicat. Verum interpretatio hæc neque eſt unica, neque certa, cum poſſit unuſquiſque aliter ad arbitrium ſuum litteram hanc explicare.

24. XXV.

24. XXV. In Jaſp. flav. litteris prominentibus. An qui gemmam hanc dono dedit, ei cui dedit, victoriarum numerum gratulari voluit? Divinare quis poſſit?

25. H extans in Onyche. Poteſt ſub hac littera ſolitaria latere verbum *Have*. *Ave* enim cum aſpiratione in antiquis monumentis quam ſæpiſſime ponitur.

26. M, in Onyche extans. Statui non poteſt, quid ſibi voluerit ille, qui in gemma hac hujuſmodi litteram inſculpendam curavit. An voluit Millenarium numerum deſignare? An initium ſui nominis ponere, ut ſui memoriam retineret amicus, ad quem gemma hæc miſſa fuerit?

27. Π, in Onyche pariter ex ipſius planitie prominens. Π apud Græcos eſt nota numeri 80: poteſt etiam eſſe initium alicujus vocabuli, v. g. πέντε *quinque*, πάντα *omnia*, vel etiam alicujus nominis proprii, v. g. Πάμφιλος.

68. DVLCIS AMO TE. In Iſiada. Quædam nomina adjectiva ad laudem pertinentia migrarunt ſæpe in nomina propria virorum, & mulierum. Ea ſunt *Placidus*, *Suavis*, *Modeſtus*, *Modeſtina*, & ſimilia. In hoc nomen proprium *Dulcis* numquam incidi: ſed ſi quis Reyneſianos, Gruterianos, Fabretianos, & Muratorios indices diligentius percurrat, fortaſſe inveniet. Hoc tamen loco *dulcis* adjectivum vere eſſe puto, cum non ſit rarum etiam apud Ciceronem in epiſtolis, *dulciſſime Frater*, *dulciſſime Attice*; frequentiſſimum vero in Inſcriptionibus. Exemplo ſit lapis in Muſeo Kirkeriano aſſervatus.

EV-

EVTICIS ANIMA
DVLCIS &c.

Et in fragmento antiqui Crateris Chryſtallini facile Chriſtianorum, ut opinatur Cl. Antonius Lupi in Epitaphio S. Severæ, quod fragmentum erutum eſt anno 1732. in Vinea Urbana Collegii Anglorum Romæ. Ibi autem litteris aureis inſcriptum eſt:

MELITA
DVLCIS
ANIMA

Adde acclamationes illas in antiquis vitreis calicibus inſcriptas apud Cl. Buonarruoti: *Anima dulcis, dulcis anima vivas &c.*

29. SVAVI VITA. In Jaſp. rub. Non dubito, quin ut ſententia perfecta ſit, adſcribi hîc recte poſſit FRVERE. *Suavi vita fruere*. Quemadmodum Cl. Jacobus Sponius inſcripta hæc in annulo æreo verba *Vita tibi* ſic interpretatur: *ſubaudi*, inquit, *longa ſit*. Huic formulæ affinis illa eſt, quæ adhibetur in hac Inſcriptione, quam refert Manutius in Orthograph., & Gruter. pag. DCCCCLXXXVI. 7.

C. NAEVIVS. ƆL. DROMO. ET. NAEVIA. ƆL.
PHILVMENA. DVM. LICVIT. SVAVITER.
FRVCTI.SVNT.ANNOS.LV.MONVMENTVM
HEREDEM. NON. SEQVETVR. NEI. QVIS.
EO. POSTEA. INFERATVR.

30.

30. AMOR DVLCIS * Dictum vere ſi ab honeſtate proficiſcatur, & illum honeſtas jugiter comitetur.

TABULA IV.

1. APRO VIB. In Onyche ſignator. Duplicis nominis unius ejuſdemque viri initia hæc eſſe arbitror, ejus videlicet, qui ad obſignandum Onyche hoc uſus fuerit, v. g. *Apronius Vibianus*. Vibianus ſervile poteſt eſſe nomen, & adoptionis a *Vibius*.

2. HERENNIO. In Jaſp. rub. Dandi caſu, quia ei fortaſſe gemma hæc dono data fuit. Herenniam unam ex antiquis Romanis Familiis fuiſſe notiſſimum eſt.

3. T C IVNIANV. In Jaſp. Chalced. ſignator. Ob anguſtias lapilli deſideratur S in fine. T eſt *Titus*. Quid autem C? Cajus prænomen eſſe ſolet, ſed invenitur etiam nomen. Vide Indicem Gruterianum pag. CCCCXLIV. 2. invenies *Cn. Cajus Pudens*. Pag. MXXV. *M. Cajus*. Ergo non erit abſurdum, ſi quis legat *T. Cajus Junianus*.

4. Mercurius cum Caduceo. A dextera TE, ab læva VI * Mercurium veteres præcipue colebant, quod lucro, & mercimoniis præfectum eſſe crederent; indeque ἐμπολαῖον, vel etiam ἐμποραῖον, & κερδῷον eſſe nominatum. E'ρμεῖα vero, & ἑρμαῖα lucra vocantur theſauri, qui præter expectationem contingunt, quomodo in Sophiſtis Philoſtratus accipere videtur. Eas

ob

ob cauſas Mercurium tamquam Deum tutelarem, & fatalem habebant. Argumento eſt Inſcriptio apud Gruterum pag. LIV.

MERCVRIO
CAELESTI FATALI
Q MVNATIVS TRICHORVS

Quare fieri poteſt, ut gemma hæc dono data fuerit, & qui dedit fauſtum aliquid ac felix amico ſuo Mercurii ope obtinendum ominari voluerit. Syllabas TE, & VI ſuſpicor ſic explicandas *Terenti vivas*. Cum dico *Terenti*, pono illud exempli cauſſa, cum alia multa nomina per eamdem ſyllabam incipiant, cujuſmodi ſunt *Terentiane*, *Tertulla* &c.

5. CORINTHIAS. In Jaſp. rub. ſignator. Nomen proprium mulieris deductum fortaſſe a Corintho ipſius patria, quemadmodum apud Terentium ab Andro *Andria*. Apud Gruter. pag. MXXX. eſt *Corinthias Liberta*.

6. VRSVLA VIV. In Onyche ſignator. Ob idipſum quod ſignatoria gemma eſt, non videretur ſic explicanda *Urſula vivas*, ſed VIV habendum eſse pro ſecundo nomine, quandoquidem non paucorum initium eſt per VIV. Ea ſunt *Vivatius* Gruter. pag. CCL. *Viveja* pag. MCXXX. Et IIII. eſt etiam *vivas vivatis*.

DIIS PROPITIIS
M. ACTINII
VIVATIS

Viva-

Vivatis autem, quamvis in allato exemplo ſit generis maſculini, non video cur non etiam generis fœminini eſſe poſſit. Hoc enim in nominibus etiam propriis inuſitatum prorſus non eſſe oſtendit Inſcriptio, quæ ſequitur apud Gruterum pag. DCXCII.

D. M.
A. LAELIO. APRO.
VIXIT. AN. VII. MENS. X.
A. LAELIO. PIETATI.
VIXIT. AN. IIII. M. X.
A. LAELIVS. CRESCES. ET
CLAVDIA. PIETAS. FILIS. PIENTISSIMIS.
FECERVNT. ET. SIBI. ET. SVIS. LIB. LIB.
POSTERISQ. EORVM.

Manifeſtum tamen habemus ex iis, quæ diximus, ſcalptores imperitos aliquando litteras, quas inverſo ordine diſponere debebant, recto ordine per errorem diſpoſuiſſe; ideoque quamvis gemma hæc noſtra videatur ſignatoria, unam tamen ex uſitatis acclamationibus in ea contineri cenſeo, quibus veteres diuturnam, felicemque vitam precabantur inter ſe, ac propterea legendum eſſe *Urſula vivas*; gemmamque ipſam eſſe unam ex Mnemonicis Urſulæ ab amico dono datam.

7. DOMIN VCAC. In Onyche. *Domina* invenitur nomen proprium fœminæ. Sed quid VCAC? Num *Ucacus*? Num *Ucacius*? Si errore ſcalptoris V

pro A fuiſſet inſculptum, tunc intellectu facilis res eſſet; legique poſſet *Dominæ Acacius*. Subaudi gemmam hanc, vel potius annulum dono mittit.

8. VNN. In Onyche ſignator. Hîc etiam aqua mihi hæret. Plures Inſcriptionum indices ſcrutatus ſum, neque nomen ſic inchoatum uſquam reperi, cujuſmodi eſſet, v. g. *Vnnius*, vel *Vnnia*. Quare hîc etiam ſuſpicor primam litteram eſſe inverſam, & pro V debere eſſe A. Hoc autem modo incipientia ſunt nomina prope innumera: *Annius*, *Annæus*, *Annæa*, & ſimilia. In Inſcriptionibus invenitur *Aurelius Munnus*.

9. C CEMI. In Onyche ſignator. Apud Muratorium pag. DCCCXXXIII. eſt *Gemus*. Facile ſcalptori excidiſſe potuit C pro G. Quamquam nihil obſtat, quominus inter veterum nomina fuerit etiam *Cemus*, vel *Cemius*, & ab utroque genitivus *Cemi* poteſt, ut diximus, derivari.

10. PVBLI. In Sarda ſignator. Caſus item patrius a recto *Publius*. Publius non ſolum eſt prænomen, ſed aliquando etiam nomen. Sic apud Gruterum pag. DCCXXXVIII. 8. *L. Publius Fauſtus*.

11. POLYTIMI. In Sarda ſignator. Nomen proprium virile, & ſervile, vel etiam Liberti alicujus. Liberti enim ſervile nomen retinebant, eoque ſæpe nominabantur quemadmodum Tyro Ciceronis Libertus. Cæterum *Polytimi* nomen eſt ex duobus vocabulis græcis compoſitum, πολὺς *multus*, & τιμὴ *honor*. Familiæ Sextiæ ſervus Sextus ille Polytimus fuit, de quo apud Gruterum extat Inſcriptio pag. DCCCCXXVIII.

DIIS

DIIS
MANIBVS
T. SEXTI. POLYTIMI
SEXTIA. NEMESIS
VIRO. SVO. FECIT
CVM. QVO. VIXIT
ANNIS. XXV.

12. A. L. A. In Onyche ſignator. Interpunctio facit, ut hæ tres litteræ non unum videantur nomen conficere, ſed potius eſſe compendiariæ notæ de more prænominis, nominis, & cognominis, v. g. *A. Lælius Aper*. Vide Gruterum pag. DCXCII.

13. SECVNDI. In Jaſp. Chalced. Multa apud antiquos etiam virorum nomina ex numeris ordinalibus, quos vocant, deſumpta ſunt.

14. P. E. P. In Jaſp. rub. ſignator. Hîc etiam interpuncta faciunt, ut tres illas litteras trium vocabulorum ſigla eſſe credam, v. g. *P. Egnatius Primitivus*.

15. AEMILIA. In Sarda ſignator. Nomen proprium fœminæ ad Æmiliam familiam aliquam pertinentis. Mulierum nomina ſine prænomine plerumque legimus. Quidam, teſte Panvino, in dubium vocarunt an prænominibus uſæ priſcæ mulieres fuerint: quidam eas exiſtimarunt omnino prænominibus caruiſſe. Sed & in vetuſtis lapidibus, & apud Valerium, Varronem, Feſtum, atque Plutarchum certum eſt, multa illarum prænomina reperiri. Et quidem Vale-

rius lib. x. *Antiquarum*, inquit, *mulierum in frequenti uſu prænomina fuerunt: Rutilia, Caſella, Rodicilla, Murulla, Burra a colore dicta. Item prænomina, quæ a viris tracta ſunt, ut Caja, Lucia, Publia, Mania. Verum*, inquit Panvinus, *cum ad recentiora Reipub. tempora ventum eſt, minus frequentari cœptum in fœminis prænominis uſum eſſe credam*. Quod clare & ex veteribus lapidibus, & ex hiſce noſtris gemmis apparet. Multas Inſcriptiones tamen, ubi ejuſmodi leguntur prænomina, Petrus Servius Medicus Romanus in ſuis Juvenilibus Feriis profert.

16. ELYON. In Sarda. Græcum nomen, ut opinor, proprium latine ſcriptum: *Elyon Elyonos*. Quamquam ſuſpicari poſſumus omnino græce eſſe ſcriptum. Etenim non raro L latinum pro Λ græco uſurpatum Sebaſtianus Erizzo præſertim in Trajani nummis oſtendit, & idem etiam in antiquiſſimis Græcorum Inſcriptionibus contingere Cl. Jacobus Sponius animadvertit [a], ibidemque deſinentia in ον multa nomina propria recitat inſculpta in fragmento tribuum antiquiſſimo, quæ videbantur deſinere debere in ων. Hujuſmodi ſunt ΑΝΔΡΟΝ, ΜΙΜΝΟΝ, ΚΑΛΛΙΦΟΝ, ΦΙΛΟΝ, ΡΙΝΟΝ, ΧΑΙΡΕΦΟΝ, ΚΤΕΣΙΦΟΝ.

17. PETRONIA RVFINA. In Jaſp. rub. Hoc ipſiſſimum nomen eſt apud Gruter. pag. CCCCLXXXII. 2. Sed cum prænomine.

M. VA-

a *Miſcell. erud. Antiquit. ſect. x. pag.* 317.

M. VARINVS M F PHILIPPICVS
ORN DEC Q ANN.
T PETRONIAE RVFINAE
ET
VARINAE PHILIPPICAE
FILIAE SVAE

18. VNIO ANIMA SVAVIS. In Chryſtall. ſignator. *Vnio* margaritam ſignificans eſt gen. maſc. Invenitur etiam nomen proprium viri *M. Vlpius Vnio* apud Gruterum pag. DCCXVI. 5. Hîc tamen *unio* non eſſe nomen proprium exiſtimo, ſed *concordiam* potius, & *conjunctionem* ſignificare. Hac enim ſignificatione, & gen. fœm. uſurpatum a Tertulliano reperi [a]. Et per ea tempora potuit gemma hæc eſſe inſculpta, quemadmodum plurimi antiqui lapides eadem ætate inſculpti ſunt. Præterea mihi fingo, neque opinor omnino temere poſt vocabulum *Anima* deſiderari in ejus fine unum E vel ob lapilli anguſtias omiſſum, vel in lapillo ipſo rotundando ab artifice abraſum; ita ut hæc ſit ſententia: *Vnio animæ ſuavis*, hoc eſt, *animorum concordia ſuavis*. Poteſt etiam *Vnio* accipi tamquam nomen proprium fœm., & *Anima ſuavis* tamquam appoſitum. Nam *Anima*, & *animæ* erant vocabula, quibus amantes amorem ſuum erga alios ſignificabant.

19. ACTЄI. In Onyche ſignator. *Actii* caſus patrius nominis proprii more latinorum inflexus, cum uſita-

a *De Monogam. c. 4. & alibi.*

uſitata ſæpius apocope, hoc eſt dempto ultimo I ab *Aſtios* ἀςεῖ@, latine eſt *urbanus*, *feſtivus*, *elegans* ab ἄςυ *urbs*. Inflexio latina per græcas litteras non eſt quid novum, cum integras ipſas periodos latinas græcis litteris aliquando videamus expreſſas. Exemplo ſit lapis in Muſeo Kirkeriano, ubi ſic:

BЄNЄϪЄPЄNTI ΦΙΛΙЄ
ΘЄOΔωPЄ KYЄ BIξIT
ϪHCIC XI ΔIHC XVII
VVI

Aliam Inſcriptionem affert Sponius [a], ubi ſæpius loco R latini P græcum eſt; quamvis Inſcriptio ipſa latina ſit.

20. INGATI. In Jaſp. rub. *Ingati* caſus patrius ab *Ingatus*, vel *Ingatius*. *Egnatius* nomen eſt notius, & Romanæ Familiæ proprium.

21. CARPEROS. In Jaſp. rub. ſignator. Nomen proprium græco more pro *Carperus* Etymon καρπὸς, ideſt *fructus*, & ἔρως *amor*, quaſi *fructus amoris*.

22. L L P LICINI. In Achate. Fortaſſe *Liberti*, vel *Libertorum P. Licinii*, vel etiam *L. Libertus P. Licinii*.

23. T IVLIVS AMANDRVS. In Jaſp. rub. *Amandus* nomen proprium non rarum in Inſcriptionibus. In *Amandrum* numquam incidi. Fortaſſe redundat illud R.

24.

a *Miſcell. ſect.* x. *num.* XXXVII.

24. AMYNTAS. In Sarda. Nomen, ut opinor, ſervile.

25. FELICALI. In Onyche. A *Felix* derivata inveniebantur *Felicia*, *Felicianus*, *Felicilla*, *Felicio*, *Feliciſſimus*, & *Feliciſſima*, *Feliculus*, *Felicla*, & *Felica* apud Murator. pag. MCLXIII. Nunc etiam *Felicalus*, niſi & hoc ipſum ſit *Feliculus* perperam inſculpto A pro V.

26. SAFR. In Jaſp. Chalced. ſignator. *Safronia* nomen proprium gen. fœm. Gruter. pag. CCCCIV.

SAFRONIA
Ↄ L TERTIA.

27. Veneris imago ſtantis, circa quam PROTES. In Chryſtall.; in cujus facie altera PRIMA. *Protes* vocabulum eſt græcum latinis litteris, & ſignificat *Primæ*. Quare idem nomen bis ponitur ſemel in caſu recto *Prima*; deinde in caſu interrogandi *Protes*, hoc eſt *Primæ*. Quid hoc rei eſt? An una eademque mulier voluit utrobique nomen ſuum extare? Semel latinum, & caſu recto, deinde græco vocabulo, & caſu patrio? An duarum ſunt hæc mulierum nomina, quarum altera eſſet mater, altera filia, ita ut ſint hoc modo accipienda more Græcorum *Prima filia Protes*? Quod ad Veneris effigiem attinet, poterat *Prima illa*, vel *Prima*, & *Prote* poterant, inquam, eſſe Veneris Numini dicatæ, atque obſtrictæ, & illius ſe profiteri cultrices. A Cic. Verr. 7. *Venerei*, atque *Venereæ* commemorantur; & apud Plaut. Rud. Act. 2. Scen. 3. *eſt Sacerdos Veneria*; idemque adjunctum non raro in antiquis

tiquis lapidibus reperias. Sed cum hæ Ficoronianæ Gemmæ inferioris ævi plerumque ſint, non exiſtimo illas ad *Veneriorum*, & *Venerearum* tempora pertinere.

28. ACЄA. In Jaſp. rub. ſignator. *Aſea* vicus, & fons eſt Arcadiæ, ex quo Alpheus in occidentem, & Eurotas in meridiem profluunt. Non eſt autem inuſitatum nomina oppidorum, atque regionum eſse etiam nomina fœminarum.

29. FELIX XI XVI VABA. In Sarda ſignator. Talium formularum veſtigium ullum non reperi. Quare illius Horatiani dicti memorem eſse oportet:

Et quæ deſperes tractata niteſcere poſſe, relinque.

TABULA V.

1. CWΦP ΠPIM AΔEΛ. In Jaſp. rub. ſignator. Sic interpretor: *σωφρόνια πρῖμα ἀδελφὴ*, *Sophronia Prima ſoror.* Sophronia nutrix eſt perſona comica in Eunucho Terentii. Poſui nomina hæc eſſe generis fœminini; quia filiæ, & ſorores, magis quam filii, & fratres ſolebant per numeros ordinales diſtingui, qui numeri erant veluti quædam ipſarum prænomina. Sic legimus *Valeriam Primam*, *Liviam Quartam*, *Noniam Quinctullam* &c. [a]

2. CIC ſupra palma, infra Caduceus. In Onyche. Caduceus concordiam, palma victoriam ſignificant. Hæc duo tamquam inſigne potuit gemma hac epi-

a *Vide plura apud Varr. de LL. l. 8. c. 38., & apud Panvinum de Nominibus Roman.*

epiſtolas obſignaturus adhibuiſſe. Cæterum quo ipſe nomine appellaretur, ex unica illa ſyllaba conjicere nobis non licet; cum plurima veterum Romanorum nomina per illam eamdem ſyllabam incipientia reperiantur. Ea ſunt exempli cauſſa *Cicero*, *Cicerrus*, *Cicereus*, *Cicionius*, *Cicurinus* &c.

3. Laurea, intra quam ΘƎΟΔΟΤΟS. In Onyche ſignator. Illud Є lunatum, qua parte cavum eſt, dextrorſum ſpectare deberet, non ſiniſtrorſum. Θεόδοτος autem *Theodotus* latine eſt quaſi *Adeodatus*: manat a Θεὸς & δίδωμι, *Deus* & *do*. In fine eſt S latinum pro C, vel Σ græcis, quod alias accidit. Inter Chriſtianas Inſcriptiones apud Muratorium una eſt pag. MCMLXXI., ubi *Thodotus*. *Theodotum* inter illas non inveni. Inter profanas ab eodem collectas eſt ΘΕΟΔΑΤΩ, quæ ibi dicitur extare in Muſeo Emi Card. Alexandri Albani, ſed verè nunc extat in Muſeo Capitolino. Apud Gruterum pag. MLXX. inter Libertos plures eſt etiam *Theodotus*. Hoc nomine appellatus etiam fuit ultimi Ptolemei Regis Conſiliarius, qui diſſentientibus aliis author fuit, ut Pompejus profugus interficeretur.

4. Corona oleagina, intra quam BIA. In Sarda ſignator. Βία græce *vim*, *robur*, *fortitudinemque* ſignificat. Qui autem in hac ſignatoria gemma vocabulum hoc incidendum curavit, ſi græce ſcribere voluit (nam BIA æque latinæ litteræ, ac græcæ ſunt) potuit velle ſibi, & aliis commemorare neminem ſine animi robore, ac magnitudine conſequi præmium poſſe. Quod ſi BIA nomen proprium mulieris eſſe malis, nihil profecto dices, quod mihi non probabile videa-

tur. Etenim, ut ſæpe antea monui, multa appellativa ſunt nomina, quæ tamquam virorum, & mulierum propria uſurpata deinde ſunt. Cæterum reliquum gemmæ hujus ſpatium diligentius oculis perluſtrantes deprehendimus fugientem quaſi notam neſcio quam, quæ qualis vere eſſet, diſpicere nequaquam licuit. Ea vero ſi græcum eſſet C haberemus BIAC. *Bias* nomen utique notiſſimum, neque ulla ſupereſſet interpretandi difficultas.

5. Cervus, circa quem MNHCON. In Jaſp. rub. ſignator. μνῆσον memento a μνάω, vel μνέω, quod uſurpatum ab Homero Iliad. α. eſt *ſuggero reminiſci facio*. Qui epiſtolas hac gemmâ obſignabat, admonere quodammodo amicos volebat, ut res, quas eis commendabat, memoria retinerent.

6. Canis, infraque eum græca ſyllaba ΦΛΗ. In Jaſp. rub. φλύαρος ſignificat *nugax*, & *nugator*. Hujuſmodi aliquando nomina etiam belluis, præſertim canibus, imponuntur.

7. Pullus Gallinaceus, ut videtur, circa quem ΟΔΕϹΤΟϹ. In Granato. *Odeſtus* fortaſſe nomen proprium ab ὁδὸς *via*. Si in initio prætermiſſum eſſet M, eſſet μόδεστος *Modeſtus* nomen notius, atque vulgatius.

8. Aquilæ caput, infra quod ΚΟΤΙΟΝΟϹ ΑΠΟΛ. In Jaſp. Chalced. ſignator. *Cotionis Apollinis*, vel *Apolloniatæ*, vel *Apollonii* &c. κοτιέω *invideo, æmulor*. Aquilæ caput unum eſſe puto ex arbitrariis illis ſignis, quibus aliqui veterum ad obſignandas epiſtolas utebantur, ut Cæſar ſphynge, Pompejus leone enſifero,

ro, Mœcenas rana [a]; & idem dicas de aliis, quæ identidem in hiſce gemmis reperies.

9. Sorex pomum rodens, ſupra ΦC, infra ΔΡΦ. Litteræ conſonantes ſine ulla vocali, ita diſperſæ, ut irritus plane labor ſit interpretari eas velle.

10. Manus protenſa, ſupra quam ΚΛΥ, infra ΗΕΛΛ * Invenitur nomen proprium viri *Clytus*, quo nomine inter alios vocabatur Laomedontis filius, & Priami frater [b]. Invenitur apud Gruter. *Clyte* fœm. pag. DCXCII. 3. *Clytia* vero *Clytiæ*, ſive *Clytie Clyties* nomen eſt unius ex Oceani nymphis aliquando ab Apolline adamatæ [c]. Habemus item *Helles* nomen propr. virile apud eumdem Gruter. pag. CCCXXXIX. 5. & *Hellas* fœmin. pag. CCCCXXXVII. 7. Igitur poſſumus duas haſce ſyllabas ſic explicare Κλύτιος ἡέλλῃ, *Clytius Helle*: Κλύτιος ἡελλάδι, *Clytius Helladi*, vel etiam Κλυτὴ ἡέλλης, *Clyte Helles* (filia vel uxor) aut etiam Ἡέλλης κλυτία, *Helles Clytiæ*. Illud H in ſecundo vocabulo poſitum eſt aſpirationis loco, contra quam Græci ſoleant, qui pro noſtro H utuntur exigua curva linea vocali ſuperpoſita cujuſmodi eſt ‘, & quam ſpiritum aſperum vocant. Sed hujus orthographiæ plura affert exempla in antiqua Tabula marmorea Cl. Sponius [d], ubi leguntur: Ἡιπποδάμας, Ἡιερώνυμος, Ἡιπποσθένιδος. Cæterum quomodo H a veteribus præſertim Græcis fuerit loco aſpirationis adhibitum, fuſe doctiſſimeque diſſerit Revmus P. Eduardus Corſini Præpoſitus Generalis Scholarum Piarum de ea re

 Priſcia-

a *Vide Plinium.* b *Homer. Iliad.* 2. c *Ovid. l.* 4. *Metam.*
d *Miſcell. erud. antiquit. pag.* 316. & 317.

Priſciani verba etiam recitans in opuſculo nuper edito: *Spiegazione di due antichiſſime Iſcrizioni Greche*. Cl. vero Jacobus Facciolatus in ſuo Calepino ſeptem linguarum generaliter docet: in veteribus Inſcriptionibus reperiri interdum H pro ſpiritu aſpero Græcorum adſcriptam. De Manu ipſa, quam in hac gemma inſculptam vides, paulo poſt dicemus.

11. MΛPINω. In Onyche litteris extantibus. *Marino*. Ille eſſe videtur, cui gemma hæc dono data.

12. Manus cum digitis pollice, & indice conjunctis, circa quam MNHMONEYϾ. In Sarda ſignator. Μνημόνευε eſt *memento*. Cl. Jacobus Sponius [a] affert Onychen, ubi manus aurem vellicans, & circa eam μνημονεύετε *mementote*. Plinius lib. 1. cap. 45. *Eſt*, inquit, *in aure imâ memoriæ locus, quem tangentes atteſtantur, idque fiebat ab actore cum verbo memento*. Huc pertinet illud Virgilii *Cynthius aurem vellit; & admonuit*. Plautus item in Perſa S. *Sed in jus voco. Nonne atteſtaris? Tuan' ego cauſa Carnifex cuiquam mortali libero aures atteram?* Vide etiam Horatium l. 1. Sat. 9. *Oppono auriculam*. Uno verbo auriculam alterius hoc modo vellere erat apud veteres idem, ac memoriam alicujus rei præſertim in judicio peragendæ alteri excitare, quæ quidem excitatio hîc dicto etiam exprimitur. Unde facilis conjectura eſt, eum, qui ſignatorio hoc annulo epiſtolas obſignabat amicis, ad quos illas mittebat, ſui, rerumque ſuarum memoriam, etiam atque etiam quaſi commendatam eſſe voluiſſe. Ex Muſeo Victorio Cl. Gorius Sardam profert, ubi eſt hic

ipſe

a *Miſcell. erud. antiquit.*

ipſe imperativus, quem vocant, modus una cum nominibus & ejus, qui rogat, & ejus, qui rogatur, ut meminerit MAIANE MNHMONEYE MEΘHC; quamquam non ſolum ad epiſtolas, ſed etiam pecuniarum ſcrinia, lagenas, teſtamentaque obſignanda annulis veteres utebantur. Quare & gemmæ hujus aliarumve ſimilium hi etiam potuerunt eſſe uſus, ſed an vere fuerint, divinare non poſſumus [a].

13. ΟΡΦЄΟC ΒΛΚΚΙΚΟC * *Orpheus Bacchichus*. Ὄρφεος hic caſus rectus eſt, & aliquando rectum eſſe poſſe, docent Grammatici. In vocabulo Βακκικὸς pro ſecundo κ deberet eſſe χ. Sed hujuſmodi errata ſæpenumero deprehenduntur.

14. ΕΥΥΜΦΙΚΟΥ * *Evymphici* nomen propr. virile, ſed valde inauditum. Quapropter ſuſpicor ſcalptoris incuria perturbatum eſſe ordinem litterarum, illaſque ita diſponendas εὐφυμίκȣ *Evphymici*. Sic enim ad vocabuli originem inveſtigandam græci ſtatim aperiuntur fontes. Φῦμι *naſcor*, vel *fio*, φυὴ *ingenium*, *indoles*, εὐφυΐα *ingenium*, *bona indoles*, εὐφυὴς *induſtrius*, *ingenioſus*, *facilis*.

15. ЄΥΤΥΚΙ. In Jaſp. rub. ſignator. *Eutichi*. Obſignantis eſt nomen caſu genit. pro K deberet eſſe X. Deducitur enim ab εὐτυχέω *felix ſum*, εὐτύχης, έος *felix*, *fortunatus*. Inveniuntur in Inſcriptionibus *Eutychus*, & *Eutychius*: & ab utroque manare poteſt caſus hic patrius *Eutychi*, ut ſupra diximus; Nota autem hic latinam hujus nominis inflexionem, quamvis

a *Vide in L. Signatorius 74. ff. de verb. ſignif. & L. Argum: §. Ornamenta ff. de auro, & arg. leg.*

vis græcis litteris ſcriptum ſit. Hæc, & ſimilia errata, & characterum perverſiones argumento ſunt, pleraſque ex hiſce gemmis ad poſteriora Romanorum, immo & Byzantiorum tempora referri oportere, cum & Latini artifices non ſatis græce, Græcique non ſatis latine ſcirent, adeoque in Inſcriptionibus lingua utraque valde eſſent commixtæ, atque confuſæ.

16. ΟΥΡΓΙΝΙΑ ΘΕΟΔΟΤΗ * *Virginia Theodote*. Virginia vocabulum latinum, ſed litteris græcis expreſſum. Secunda littera eſt V latinum pro Y græco, quemadmodum Latini pro Y græco latinum V ſæpe adhibent. OY Græci ſæpe utuntur ad V noſtrum conſonans exprimendum. Itaque invenies Οὐαλερία *Valeria*, Οὐβέιος *Vibius* &c Θεοδότη eſt omnino græcum quaſi *a Deo data*. Habes nomen hoc ipſum in Inſcriptionibus Muratorianis pag. MCCCCLXXXIII. 6.

MONIME
VEDIAE
THEODOTES
VEDI LVCILI &c.

17. ΦΙΛΩΝΟC. In Amethiſt. ſignator. *Philonis*. Philonis ſervi cujuſdam meminit Inſcriptio Gruteri pag. MLXX. 1.

18. M OKTABIOC CEKOINΔOC. In Sarda. *M. Octavius Secundus* nomen alicujus Liberti eſſe potuit, qui ad aliquam ex Octaviis familiis pertineret.

ret. Litteræ V vocali aliquando, ut vides *οι* græca dyphtongus reſpondet, ut in hujus gemmæ vocabulo tertio; aliquando ſolum Y, ut in hoc alio KYNTOC, *Quinctus*. Hoc in aliis monumentis adnotare potes, in quibus latina verba per græcas litteras exarantur.

19. ΦΩC MOY * *Lux mea*. Gemmam hanc veroſimile eſt ab amatore fuiſſe amatæ dono datam. Sponius [a] Amethyſtum profert, ubi amatæ nomen eſt additum ΦWC MOYΘEANW, *Lux mea Theano*. Hujuſmodi blanditiis pleni ſunt Poetarum libri, præſertim Tibulli, atque Propertii; immo & Cicero ipſe ſcribit [b]: *Si Tu, & Tullia lux noſtra valetis*.

29. AMYNTAY. In Sarda ſignator. Sardam aliam vidimus Tab. IV. num. 24.. ſed ovali, & anguſtiore figura, in qua AMYNTAS. Cum autem hæc noſtra ſit ſignatoria, non videretur legendum *Amynta Ave*, quaſi Amyntas ad amicos ſcribens ſe ipſum ſalutet. Quapropter ſuſpicio mihi eſt ſcalptoris errore, aut negligentia poſtremam litteram eſſe E ita male inſculptam, ut videatur Y. Tunc enim eſſet *Amintae* caſus patrius nominis illius, qui obſignat de more. Si poſtrema littera eſſet C græcum, ſed ita male inſculptum, ut videri poſſit Y, tunc eſſet caſus rectus græci nominis proprii *ἀμιώτας*.

21. A KIPIAC AΓPIΠEINAΣ, infra quæ duo verba Hippocampus, ſive Equus marinus. Litteris extantibus in Chryſtallo. Sic interpretor: *Auguſtæ Dominæ Agrippinæ*. Chryſtallus hæc potuit eſſe inſigne quoddam

a *Miſcell. erud. antiquit. pag.* 297. b *Lib.* XIII. *Ep.* 5. *Fam.*

quoddam, quo illam geſtans ſeſe Agrippinæ Auguſtæ ſervum vel ſervam, libertum aut libertam eſſe, vel fuiſſe gloriaretur. Auguſtus græce non ſolum dicitur σεβαστός, ſed etiam αὔγουστος, ut videre potes in Inſcriptionibus Gruterianis. In vocabulo ſecundo erratum eſt: debebat enim eſſe Κυρία, non autem Κιρία, ſicut etiam in tertio, ubi gemina debebant eſſe ππ. Caſus genitivus ſecundæ declinationis ſimplicium apud Græcos deſinit aliquando in ας, etiamſi a recto, qui non in α purum deſinat, derivetur.

TABULA VI.

1. ΟΔΟΥC ΓΡΗΓΟ ΜΝΗCΟΝ. In Jaſp. rub. ſignator. Videtur hîc præceptum ἀλληγορικὸν ad vitæ diſciplinam perutile contineri. Sic enim explico: ὁδοὺς γρηγορῶν μνῆσον, *viarum vigilans reminiſcere*. Viam accipi pro honeſti lege, & honeſta vivendi ratione non ſolum a ſacris, ſed etiam a profanis ſcriptoribus palam eſt. Hinc Ciceroniana illa: *cui vivendi via conſiderata, atque proviſa eſt*; Et *recta vivendi via*. Jam vero viarum vigilantem eſſe memorem idem erit, ac legum & honeſtatis memoriam conſervare, illarumque ſeſe numquam eſſe oblitum oſtendere. Si hæc explicatio non placet, proponam hanc aliam. Ὄδουσα γρηγόρου μνῆσον, *Oduſa Gregoræ memento*. *Gregoras* nomen propr. viri invenitur: *Oduſa* nomen eſſe poteſt propr. fœminæ ab ὁδόω, *viam oſtendo*. Si neutra explicatio placet, meliorem dare neſcienti facile benignus lector ignoſcet. 2. ЄY-

2. ЄYBOΛOY. Infra quod vocabulum palmæ ramus. In antiqua ſapphiro, vulgo *Lapislazulo*. *Euboli*. Nomen proprium virile εὔβολος ab εὖ *bene*, & βάλλω *jacit*, quaſi *bene jaciens*. Cum tam ſæpe in antiquis monumentis palmas inſpiciamus, dijudicare non poſſumus, utrum hæc ad victoriam ſignificandam, an tantummodo ornamenti cauſa ſit appoſita.

3. AΓAΘHΔOC. In Jaſp. rub. ſignator. *Agathidos*, *Agathis*, *Agathidos* nomen proprium mulieris ab ἀγαθός *bonus*.

4. CAPOYNOMAC. In Chryſtal. *Sarunomas* nomen proprium, ut opinor, viri. *Sarunomas Sarunomados*. Σαρὸς latine eſt *æditus qui ædem verrit*, vel *ſcopæ* ipſæ, quibus ædes verritur; οὔνομα ſæpe ponitur pro ὄνομα, & *nomen* ſignificat. Ex his duobus σαρουνόμας.

5. IPHNH. In Sarda ſignator. *Irene* nomen proprium muliebre, & ſignificat etiam *Pax*; ſed ſcalptor in initio prætermiſit E: ſcribendum enim erat cum dyphtongo ει εἰρήνη. Sed hujuſmodi errata ſæpe inveniuntur ob utriuſque linguæ confuſionem, atque mixtionem, ut antea diximus.

6. MAPIWN MAPIONO APXWN. In Sarda ſignator. In ſecundo vocabulo videtur deſiderari C græcum, vel Σ, ita ut ſit μαρίων μαρίωνος ἄρχων. Tum ſic interpretor *Marion Marionis Archon*, hoc eſt *Marion Marionis* (filius) *Archon*, ideſt *Princeps Gubernator* &c. Archontas enim appellatos invenio non ſolum qui Athenis, ſed etiam, qui in aliquibus aliis locis magiſtratum ſummum gererent. Teſtimonio ſit Inſcriptio apud Gruter. pag. ccxxix, 15. quam ipſe in Achaja

ad Delphorum urbem in Templo Apollinis repertam eſſe ait;

ΕΠΙ ΑΡΙΣΤΑΓΟΡΑ ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΕΝ ΔΕΛΦΟΙΣ &c.

Alia affertur a Sponio [a]: *In Inſula*, inquit, *Santerini, quæ olim Thera in monte S. Stephani, ubi illius urbis rudera. In baſi marmorea*:

ΤΗΝ ΕΠΙΜΕΛΕΙΑΝ ΚΑΙ ΤΗΝ
ΑΝΑΣΤΑΣΙΝ ΠΟΙΣΑΜΕΝΩΝ
ΑΡΧΟΝΤΩΝ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ Β
ΚΑΙ ΚΟΙΝΤΟΥ Β &c.

Hi certe Athenis Archontes non erant.

7. Palmæ ramus, infra quem PHOENIX VΛ. In Sardonyche ſignator. Semper miror inter iſtas Ficoronias gemmas ſignatorias aliquas reperiri, quæ acclamationes contineant ei factas, cui dono datæ ſunt. Sic enim illarum poſſeſſor, iiſque obſignans ſe ipſum, deberet ſibimet ſalutem impertiri, quod abſonum omnino eſt, atque abſurdum. Verumtamen non pauca abſurde fiunt, quæ fieri non deberent, imperitique, ac negligentes artifices inverſo ordine litteras illas inſculpe-

a *Miſcell. erud. antiquit. pag.* 341.

ſculpebant, quas recto inſculpere debuiſſent, cujuſmodi eſt acclamatio in hac gemma contenta *Phoenix vale*. Non diſſimili formulâ uſus eſt Tireſias apud Horatium [a], cum multa de arte diteſcendi præcepta Ulyſſi dediſſet: *ſed me*, inquit,

Imperioſa trahit Proſerpina. Vive Valeque.

Artificis negligentiæ, quam dixi, argumentum eſt A poſitum ſine tranſverſa linea, itaut Λ potius græcum videri poſſit.

8. ΦΟΙΒЄΙѠΝ ⁎ Neſcio, utrum interpretandum ſit *Phoebion Phoebionos*, ut ſit caſus rectus ſingularis, an vero *Phoebejorum*, itaut ſit caſus patrius numero multitudinis, notetque non unum, ſed vel duos, vel plures, qui eo nomine vocarentur unius, ejuſdemque familiæ. Utrovis modo ſe habeat, ſignatoria gemma eſſe poteſt, ſed an vere ſit, affirmate dicere non poſſumus, cum illam inſpicere non licuerit, ſed ſolum in Ficoronii lamellis ejus apographum ſuperfuerit.

9. ΨΥΧΗ. In Onyche ſignator. Ψυχὴ ῆς, *anima animæ*, & ψύχη ης, *papilio papilionis*: ſed etiam eſt nomen proprium muliebre, quo appellabatur *Pſyche* illa apud Mythologos celeberrima, cujus, & Cupidinis nuptias, Apulejus, & Fulgentius deſcribunt.

10. ΕΙΡΗΝΗ ΧΡѠ. In Sarda. Χρῆσθαι τύχῃ eſt, inquit Budæus, *habere fortunam*. Quare ſi εἰρήνη eſſet hîc nomen appellativum (cum ſignificet *Pax*) poſſet ſic explicari *Pacem habe*, vel ad verbum *pace fruere*. Nam χράομαι eſt *fruor*; verumtamen longe aliam eſſe

 ſenten-

a *Serm. l. 2. Sat. 6.*

ſententiam ex iis, quæ mox dicam, oſtendam. Εἰρήνῃ igitur nomen proprium mulieris eſſe arbitror vocandi caſu, & ſic interpretandum *Irene utere*. Hanc autem unam ex acclamationibus, vel formulis eſſe cenſeo, quas, ut monet Cl. Buonarruoti, aliquid dono dantes in ipſis aliquando munuſculis inſcribebant. Hujuſmodi eſt illa, quam dabimus Tab. VII. num. 9. *Utere Seberine feliciter*. Hujuſmodi eſt Sarda illa, in qua inſcriptum ſe vidiſſe idem Buonarruotus teſtatur *utere felix*; & eſt fortaſſe illa eadem, de qua Cl. Sponius [a]. Hujus autem locutionis compendiarias notas Buonarruotus eſſe ait, quas ipſe vidit in Jaſp. virid. Cl. D. Abbatis Andreini VT F X. Huic opinioni conſonum eſt, quod Gregorius Turonenſis narrat [b]: *Mauritio Tiberius cum filiam nuptui daret, ſit, inquit, tibi imperium cum hac puella conceſſum; utere ea felix*.

11. ΦΥΛΑ * Φύλη nomen proprium loci in Attica. Ab hoc fortaſſe nomen muliebre mutato facile H in A, niſi ſit nomen aliquod dimidiatum, ita ut poſteriores litteræ deſiderentur, v. g. *Phyladeſpotus*, *Phylargyrus*.

12. ΛΥΠ CIΜΠΛΙϾ. In Amethiſto ſignator. Cum in aliquibus ex hiſce gemmis, & in aliis præſertim inferioris ævi monumentis incredibilis quædam ſit litterarum perverſio, quod allatis exemplis clare oſtendunt Reyneſius, Gruterus, Muratorius, Cl. Buonarruoti, & noviſſime P. Antonius Lupi in Epitaphio S. Severæ, ut aliquem ſenſum ex ſupra poſitis characteribus eruam, dicam Y inſculptum pro V latino;

C vero

a *Miſcell. erud. Antiquit. pag.* 297. b *Hiſt. l.* 6. *cap.* 30.

C vero græcum ſemel pro Sigmate, ut ſolet, poſtremo loco pro C latino; nam exiguum punctum illud, quod habet in ventre, ita ut videatur Є puto eſſe fortuitum, & vel eſſe nativam in amethyſto cavernulam, vel etiam eſſe errore quodam imperiti ſculptoris adjectum. Quare latinis, græciſque litteris commixtis; (quod alias obſervavimus) ſic legerem: ΛVΠΟC CIMΠΛICIOC, *Lupus Simplicius*; cum utrumque nomen non raro in antiquis monumentis occurrat. Si hoc non placet, humaniſſimos lectores rogabo, ut meliorem ſanioremque lectionem mihi ſuggerant, & ſi id impetravero, gratias agam.

13. ΙΟΥΛΙC ΤΕΡЄΝΤΙΛΝΟC. In Sarda ſignator. In primo vocabulo poſt ultimum I deſideratur O, & in ſecundi vocabuli octava littera deſideratur linea tranſverſa; & ſic erit Ἰούλιος τερεντίανος, *Julius Terentianus*. Qui in aliquam familiam adoptabantur, aliquando illius familiæ nomen aſſumebant aliquantulum immutatum. Sic ab Octavia *Octavianus*, ab Æmilia *Æmilianus*, a Fulvia *Fulvianus* manarunt, de quibus videndus Panvinus in Commentario de antiquis Romanorum nominibus. Utrum Julius iſte ſit vere aliquis ex Familia aliqua Julia poſterioribus ſaltem temporibus exorta, & in aliquam Terentiam Familiam adoptatus, an vero adjunctum illud *Terentianus* ſit aliquod nomen ſervile, decernere non poſſum. Terentianum Cohortis Prætoriæ Præfectum commemorari in Actis SS. Joannis, & Pauli Martyrum video.

14. ΜΝΗCΟΝ ΒΑCΙΕΛЄΙΛΑΡΟΥ. In Sarda. Ordo litterarum valde perturbatus. Res erit perſpicua,

ſpicua,

ſpicua, ſi hoc modo ordinentur: **MNHCON BACIΛЄIA ЄAPOY**, *Memento Baſilia Eari*. Nimirum artifex extrema illa Є & A, quæ ſunt in tertia gemmæ linea, ponere debuerat in quarta. *Baſilia* igitur nomen proprium muliebre, quaſi *Regina* a Βασιλεύς *Rex*, Βασιλεύω *regno*. *Earos* nomen proprium virile ab ἔαρος *pelvis*, vel fortaſſe potius ab ἔαρ *ver*.

15. IΦIOYΛΛOC. In Jaſp. rub. ſignator. *Iphis*, ut opinor, vel *Iphios Jullus*. Duo fortaſſe unius ejuſdemque viri nomina propria deſumpta de more a non propriis. Ἶφις latine eſt *pulcher*, ἴφιος *pinguis*, *bene nutritus*, ἴουλος *lanugo*: potuit eſſe igitur aliquis, cui nomen eſſet *pulchra lanugo*.

16. TNΛNIIIMOY * Duo II pro E ſæpe in Inſcriptionibus reperiuntur, ut in Gruteriano Indice eorum, quæ ad grammaticam pertinent unuſquiſque videre poteſt. Sic *Annaiia* pro *Annaea*, *Fiilici* pro *Felici*. Exempla ſunt prope innumera. Igitur legi poteſt T NANEI MOY, *T. Nanei mi*, ita ut ſit caſus vocandi more Latinorum inflexus, quamquam poſſumus illum etiam more Græcorum inflectere, ſi legamus NANIE MOY, tunc enim non penultimum, & antepenultimum I erunt loco E, ſed ultimum, & penultimum, præſertim cum nomen *Nanius* in Inſcriptionibus inveniatur.

17. TIΓPIC. In Chryſtall. ſignator. Nomen proprium muliebre *Tigris*. Apud Gruter. pag. MCXXXIX. 15. extat Inſcriptio, quæ ſequitur:

AVR.

AVR TIGRIS C F AVR.
FELICIANO V P MARITO
INCOMPARABILI CVM QVI VI
XI ANNIS XXI SINE VLLA DISCORDIA BE
NEMERENTI CVM DOLORE MEO INSCVLPI
IVSSI

18. ΘЄCΚΛЄΠΤΑ. In Jaſp. rub. Si dividantur vocabula hoc modo ΘЄC ΚΛЄΠΤΑ, erit *pone fur*, vel *depone fur*, adeoque Amuleti genus quaſi quoddam contra fures; ſed cum nomina propria tam varia ſint, atque multiplicia, *Theſclepta* eſſe nomen proprium mulieris, negare non audeo.

19. ΚΥΡΙ ΧΑΙΡЄ * In primo vocabulo deſideratur Α, vel Є in fine. Si Α erit ΚΥΡΙΑ, ſi Є ΚΥΡΙЄ, *Domina Ave*, vel *Domine Ave*. Ejuſdemmodi acclamationes Cl. Sponius duas profert; alteram in Sarda, ſed integris omnino vocabulis, ubi ΚΥΡΙΑ ΧΑΙΡΕ; alteram in marmore laurea circumdatam, ubi ΚΥΡΙЄ ΧΑΙΡЄ. Gorius aliam ex dactyliotheca victoria in Sarda litteris exctypis ex albo, ubi pariter ΚΥΡΙΑ ΧΑΙΡΕ: quæ gemmæ videntur munuſcula fuiſſe ad eos miſſa, quos mittens, tamquam dominos colebat, & quibus ſeſe tamquam dicatos eſſe profitebatur.

20. ANF T. In Jaſp. Chalced. ſignator. Non ita facile latinum nomen per has litteras ANF inchoa-

tum

tum reperies: F pro PH, & N pro M in Inſcriptionibus ob ſcalptorum inſcitiam inſculptum invenies ſæpiſſime. Quocirca finge tibi animo nomen aliquod, cujus initium ſit *Amph*, ut *Amphion*, *Amphilochus*, & unum, vel aliud illorum ſimile compendiaria illa nota *Anſ* denotatum hîc eſſe puta. *Amfion* pro *Amphion* eſt in lapide Gruteriano pag. CXXVI. Quæ vero incipiant per T (qua littera videtur ſecundum nomen indicari) ſunt plane innumera, ſtulteque omnino unum præ alio eſſe contenderem.

21. ΟΥΑΛЄΡ. In Plaſmate ſmaragdino. *Valerius*, vel *Valeria*. De dyphtongo græco *ου* ſupra diximus in Tab. V. num. 16.

22. ΕΠΑΙΝΟϹ ЄΙΦΙΤШϹΥ. In Sarda ſignator. Ἔπαινος ſignificat *laus*, ſed invenitur etiam nomen proprium virile. Argumento eſt Inſcriptio, quam edidit Cl. Sponius [a], ubi latine ſcriptum eſt cum dyphtongo tamen græca:

EPAINVS MESSALINVS
AVG AVGVSTIANVS
SELEVCVS C CAESARIS
COCVS GERMANIC.

Ideſt, inquit Sponius, *Germanicianus*. Quod attinet ad reliqua; inter multa, quæ mihi in mentem venerunt, tolerabilius hoc viſum eſt exiſtimare; poſtremum illud

[a] *Miſcell. erud. antiquit. pag.* 221.

lud C græcum in ſecundo gemmæ hujus vocabulo nihil aliud eſſe, quam O artificis incuria, vel inſcitia non bene clauſum, & cum ſequente Y diphtongum efficere OY; quam quidem dyphtongum ſic ſolitariam in inferiori parte plurium ex hiſce litteratis noſtris gemmis animadvertimus; ita ut legi poſſit ἐπ'άινος εἰφιτῶȣ, *Epænus Iphitoi*, hoc eſt, *Iphitoi filius*. In Epiſtola ad Romanos [a] eſt nomen huic noſtro affine, & ex eâdem radice: *Salutate Epænetum dilectum*.

23. ЄIBOVON * *Ibuon*. V latinum manifeſtò deprehenditur poſitum eſſe pro Y græco. Veroſimile eſt εἴβȣον eſſe nomen proprium quintæ declinationis ſimplicium ex iis, quæ diximus deſinere in ον pro ων. Itaque εἴβȣον εἰβȣ́ονος, *Ibuon Ibuonis*, etymon non ita facile expiſcari me poſſe contendo: εἴβω ſignificat *libo*, *perfundo*; εἴβομαι *perfundor*, *diſtillo*, *lacrymor*, ſed quomodo ab his εἴβȣον formabimus?

24. ΛΡΛΔΥΕ ΛΧΛΝ * *Aradius* nomen proprium virile reperitur in Inſcriptionibus. Hîc habemus *Aradia* nomen muliebre, quod græce effertur per E, ut *Penelope Penelopes*. Quamquam hîc magna utriuſque linguæ mixtio, atque confuſio; præſertim quod ad orthographiam, & grammaticæ regulas attinet. Nam loco I in *Aradie* eſt Y, loco H eſt E: ſcribendum enim videtur ΑΡΑΔΙΗ, quandocumque græcæ litteræ adhibeantur. Sed hoc conſuetæ artificum inſcitiæ, & negligentiæ tribuendum. Neque mirum ſi in hoc gemmæ hujus ſcalptor peccaverit, cum in tribus A lineam tranſverſam prætermiſerit, ita ut non A, ſed

a *Cap.* 16. 5.

Λ græca videri poſſint. Si igitur gemma hæc eſt ſignatoria (autographum enim non vidimus) legi poſſe arbitror ΑΡΑΔΙΗ ΑΧΑΝΘΟΥ, *Aradia*, vel *Aradie Acanthi*, ſubaudi filia, vel uxor. Si autem non eſt ſignatoria, ſed munuſculum exempli cauſa ab amatore aliquo miſſum *Aradiæ Achanthus*, ſubaudi gemmam hanc, vel potius annulum mittit.

25. ΚΟΡΥΜΒΟΥ. In Jaſp. rub. *Corymbi*. Nomen proprium virile. Eſt etiam nomen appellativum (ut cum grammaticis, & lexicographis loquar, quod ſæpe facio ne nimis latine loqui volens, obſcurus fiam) ſignificans hederæ racemum in orbem circumactum [a].

26. ΙЄΡΑΤΙΚΟϹ. In Chryſtall. ſignator. *Hieraticus*. Nomen proprium virile quaſi *ſacratus*, *ſacerdos* a ἱερὸς *ſacer*. Habet Gruter. pag. DCLXXVII.

27. ΑΝΤωΝΙΝΟΥ. In Sarda. *Antonini*.

28. IVNIA F * *Junia filia*, ut a Junia Matre fortaſſe diſtingueretur, vel etiam *Junia felix*, *Junia feliciter*, vel aliquid ſimile.

29. ΒЄΡΟΝЄΙΚΗ. In Sarda ſignator. *Beronice*. Nomen proprium fœmin. Dicitur autem *Beronice* Macedonum lingua; nam communiter dicendum eſſet Φερονίκη *Pheronice*, ſicut Philippum Macedones φ in β mutantes *Bilippum* dicunt. Itaque *Beronice* eſt quaſi ferens victoriam [b]. Illud enim animadvertendum in gemma hac dyphtongum illam ει eſſe ſuperfluam: victoria enim græce dicitur νίκη; quare ſcribendum erat ΒЄΡΟΝΙΚΗ, quamquam inter græca vocabula eſt etiam νείκη *jurgium*, *concertatio*.

30. Cω-

a *Plin. l.* 16. *cap.* 34. b *Vide Lexicographos*.

30. CWTHPEC. In Amethiſto ſignator. Inveniuntur hæc nomina *Soter Soteros* maſc., & *Sotira Sotiras* fœm., derivata a σώζω *ſalvum facio*; ſic σωτῆρες erit *ſalvatores*, quod vocabulum ſæpiſſime in ſacris litteris uſurpatur. Fortaſſe qui hac Amethiſto litteras obſignabant erant duo, vel plures unius ejuſdemque familiæ, qui hoc eodem nomine appellarentur. Sic apud Ciceronem *Metelli*, *Ovinii* &c.

TABULA VII.

1. IVSTA VITA * Fortaſſe una ex acclamationibus, ita ut ſubaudiatur *Tibi contingat*, vel etiam monitum. Juſta enim vita beatum hominem efficit.

2. DVLCIS VITA * Eamdem ferme habere poteſt interpretationem. In alia gemma, quam vidit Cl. Abbas Rudolphinus Venuti eſt: MEL MEVM. In alia ANIMVLA DVLCIS.

3. GRATA * Eſt & nomen proprium fœm. *Grata L. Quadrati*, *Grata Pompeja*, *Grata Olympia* [a]. Eſt etiam nomen adjectivum, cui mulier gemmam hanc donans ſubaudire aliquid potuerit, v. g. *Grata ſum*, *Grata ero*.

4. TE EGO AMO * Satis clare Cl. Præpoſitus Venuti Patricius Cortonenſis, & Academicus Hetruſcus in Diſſertatione de quibuſdam Gemmis antiquis litteratis, præſertim græcis ex Grutero pag. MCLVIII. 8.

 Acha-

a *Vide Indices Gruterianos.*

Achatem affert, ubi inſcriptum eſt: ού φιλῶ σε μηδαμῶς. Ita enim quartum hoc ipſe vocabulum recte corrigit: *Non amo te nullatenus*. Duæ negationes, ut notum eſt, apud Græcos non ſemper affirmant, ſed plerumque vere negant. Ibidemque alterius Achatis apographum exhibet, a Cl. Marchione Vettorio poſſeſſi, ubi litteris extantibus hi verſus exculpti ſunt:

Οὐ φιλῶ
μὴ πλανῶ
Νοῶ δὲ
καὶ γελῶ

Hoc eſt: *Non diligo*
Non decipio
Obſervo autem
Et rideo.

5. P+OEBVS * *Phœbus* nomen proprium, ſed in hac gemma prætermiſſum eſt H.

6. QFC. MFA. COS. In Sarda ſignator. *Q. Fabio Catullino M. Flavio Apro Conſulibus*. D. Langlet du Freſne ad annum V. C. 883. Æræ Chriſtianæ 130. ſtatuit fuiſſe Conſules Q. Fabium Catullinum, Q. Julium Balbum: eoſdem etiam Petavius. Noſtra hæc conſentit cum pluribus antiquis monumentis, quibus monumentis fidem habet Cl. Muratorius. Hi enim noſtri Conſules viſuntur in Tegula antiqua, quæ olim extabat in Muſeo Albano; nunc autem in Capitolino aſſervatur. Viſuntur item in alia Figulina, quam Mura-

ratorius pariter profert. Gruterus denique Inſcriptionem habet hoc idem par Conſulum indicans pag. CVIII. Et hoc idem par ponit Panvinus. Q. Julium Balbum cum Juventio Celſo conjunctum lego apud Gruterum pag. DLXXIII. 2.

7. I VIVEQ * *I & vive*. Gemma, ut videtur, dono data amico, vel amicæ diſceſſuris, uſitata formulâ, quam vidimus apud Horatium.

8. AV intra lauream, circa quam palmæ rami duo * His duabus litteris vel indicari nomen aliquod puto, v. g. *Aucus*, *Auguſtalis*, vel quod alibi vidimus valde uſitatum AVE.

9. AVXILI * Videtur eſſe ſignatoria; nam autographum ipſum videre non licuit. *Auxili* igitur caſus patrius ab *Auxilos*, aut *Auxilios*, ut ſæpe diximus.

10. FAVSTI * Nihil eſt, cur hîc immoremur.

11. PHOENIX YA, ſupra quas litteras palmæ ramulus * De hac diximus Tab. VI. num. 7.: ſed ibi pro Y erat V, pro A erat Λ. Neſcimus utrum hæc ſit alia gemma ab illa; an eadem prorſus, ſed diligentius delineata. Etenim autographum non vidimus.

12. T C IVNIANVS * Prænomen, nomen, & cognomen: prima littera manifeſtò *Titum* deſignat, quid ſibi velit ſecunda, divinare non poſſum. *Cajus* communiter prænomen habetur, ſed quis inficiabitur multa veterum prænomina in nomina tranſiviſſe, ita ut legi tutò poſſit *Titus Cajus Junianus*.

13. CINVRA CORINTHIA HAVE * Apud Gruterum pag. DCCCXXVII. 6. eſt *Cynira*. Apud Muratorium pag. MCLXXVIII. 9. eſt *Cinura*.

C IV-

C. IVLIVS OPTATVS
IVLIAE. C. L. AMANDAE. F.
C. IVLIO. HILARIONI
CONI.
SECVNDO. L.
IVLIAE. CINVRAE. L.
AVCTAE. F. AN. XXXV.

Κινύρα, ας, quando nomen eſt appellativum, ſignificat inſtrumentum muſicum, *Citharam &c.* ἀπὸ τοῦ κινεῖν τὰ νεῦρα, *amovendo nervos*, & κίνυρος, ου, ſignificat *querulus, funeſtus &c.* Hoc autem loco eſt nomen proprium muliebre. *Have* pro *Ave* ſæpiſſime.

14. MVSICI * Vide Tab. I. num. 25. Ibi *Muſicus* in caſu recto, hic in genitivo. Et ob idipſum veroſimile eſt gemmam hanc eſſe ſignatoriam.

15. Q DEMAS K. In parte ſuperiore ſtellæ duæ, in inferiore tres. *Quinctus Demas Karus*, quemadmodum apud Gruterum: *Nanius Rufus Karus*. *Karus* pro *Charus* ſæpe.

16. VITA TIBI * Hanc eamdem inſcriptionem affert Sponius in pala annuli aurei [a], &, *Subaudi*, inquit, *longa ſit*.

17. VERE FELIX * Suſpicor hîc vel ſcalptoris, vel delineatoris errore prætermiſſum fuiſſe T poſt V in vocabulo VERE, ſcribendumque fuiſſe VTERE, de qua formula ſatis alibi diximus, & paulo poſt dicemus.

18. AT-

[a] *Miſcell. erud. antiquit. ſect. 9. pag.* 497.

18. ATTIKIANA * *Atticiana*. Videtur nomen proprium muliebre.

19. VTERE SEBERINE FELICITER * *Seberine* pro *Severine*. B ſæpiſſime pro V conſonante. De hac formula ſatis antea diximus Tab. V. num. 10. Addam nunc antiquum plumbeum ſigillum a Ficoronio prolatum [a], ubi caput incognitum viſitur cum hujuſmodi acclamatione *Vtere Felix*.

20. DEVS DEDIT VIVAS IN DEO * Nomen proprium viri Chriſtiani, quo etiam nomine appellatus eſt inter Romanos Pontifices Septuageſimus, de quo in Martyrol. Rom. VI. Id. Novemb. Inter plumbea Ficoronii ſigilla Tab. 23. num. 30. unum reperitur, in cujus parte adverſa DEVS DEDIT PAPAE. In averſa Paſtor bonus cum geminis oviculis, circaque ejus caput, α & ω. Defoſſum Ficoronus fuiſſe narrat in Villa Caſalia in Monte Cælio ad S. Stephani anno 1727. Invenitur etiam hoc nomen propr. *Deusdet* apud Cl. Boldettum in Inſcript. pag. 268.

Hic requieſcit in pace Deusdet.

Quod attinet ad illa verba *vivas in Deo* eſt acclamatio veteribus Chriſtianis valde familiaris. Cl. Sponius ſigillum Chriſtianum profert, in quo hæc eadem verba *vivas in Deo*, ſed nomine prætermiſſo illius, cui talis vita exoptabatur. Apud Cl. Boldettum eſt hæc acclamatio: *Regina vibas in Deo*. *Vibas* pro *vivas*. Ex Cœmeterio Calliſti Græcam ſibi a Boldetto miſſam recitat Buonarruotus, ubi græcis litteris non ſatis

a *Part. 1. cap. 4. de Plumb. antiqu.*

tis accurate ſculptis legitur: ἐν Θεῷ ζήσῃς, *In Deo vives*. In eodem Cœmeterio extitiſſe dicitur etiam hæc: IVLIANE VIBAS IN DEO ET RO. hoc eſt *roga*, ut idem Buonarruotus interpretatur. Annulum pariter aureum ex Buonarroti Senatoris dactyliotheca profert Gorius, ubi ſic:

BONIFATI
VIVAS

Ex dactyliotheca Riccardia Sardam, in cujus facie altera extantibus litteris, & prominentibus:

ADEODATE
ANASTASIA

In altera vero:

POSTVMIANI
GALLA VIVA
TIS

21. A. L. A. Vide Tab. IV. num. 12.

22. STROMATEVS * Nomen proprium virile a græco στρῶμα, *ſtratum*, *ſtragulum*.

23. C. EGNATI * Nomen proprium virile alicujus ex familia *Egnatia*.

24. PIOSTRAAI * Hoc eſt ſolutis nexibus *Pioſtratæ*. Nomen fœminini generis proprium. Inter partem ſuperiorem, & inferiorem ipſius vocabuli interpoſitus eſt flos, &, ut quibuſdam eſt viſum, teſſera neſcio quæ. Non incredibile eſt, ſcalptoris negligentia poſt P prætermiſſum eſſe H, ita ut legendum ſit *Philoſtratæ*. Sicut adhibita in fine eſt dyphtongus græca AI pro latina AE.

25. PV-

25. PVBLI * Eſt gemma alia cum hiſce eiſdem litteris rotundiore figura Tab. I. num. 10.

26. Serpens caudam ſibi depaſcens, intra quem OLIMNY * Hujuſmodi ſerpens ſignum eſt anni in ſe ipſum redeuntis, quod adnotavit Fabrettus pag. 26. num. 7. Poteſt igitur hîc vitæ diuturnioris, quaſi votum intelligi. OLIMNY vel eſt pars hujus recti *Olimnyus*, vel eſt caſus patrius *Olimni*, nam Y pro I latino perperam uſurpatum perſæpe vidimus.

27. Luna cum ſtella, ſupra quam CONSERVA infra TRIX PIA * *Conſervatrix Pia*. Luna in nummis æternitatem, perpetuitatemque ſignificat. Et inde in Inſcriptionibus LVNAE AETERNAE. Vide apud Gruterum pag. XXIII. 5. & 6. Lunam falcatam in urnis etiam marmoreis inſculptam videas. Exemplo duæ ſint apud eumdem Gruterum pag. MCLXIX. ubi fortaſſe Lunæ illæ mortui memoriam ſempiternam fore ſignificant; & ob eamdem cauſam in hac noſtra gemma conſervatricem appellatam exiſtimo. Tria ectypa gemmarum vidi, quæ ſunt apud Cl. Baronem Stoſchium, in quarum una Luna eſt cum una ſtella, ſed ſine ulla inſcriptione, in altera, & in tertia pariter Luna cum ſeptem ſtellis, ſed in hiſce quoque nihil inſcriptum animadverti. Cæterum ſtellam etiam in Gordiani Pii nummo cum Luna conjunctam videas; qua Sebaſtianus Erizzo nominis ſplendorem, famæque celebritatem ſignificatam eſſe, ait. Hujus autem ipſius ſplendoris votum gemmæ hujus ſcalptor exprimere fortaſſe voluit.

28. Corona querna, intra quam ſupra VI, infra XM * Vide, quæ diximus Tab. III. num. 20.

29. ATHENAIS AV intra Lauream * *Athenais* olim appellata fuerat Theodoſii junioris uxor, antequam nuberet, quæ poſtmodum *Ælia Eudoxia* dicta eſt. De illa utique hic non eſt ſermo, ſed de aliqua alia nobis ignota muliere, cui ab amico gemma hæc dono data fuerit, cum hac inſcriptione, ſeu ut ajunt acclamatione *Athenais*, ut opinor, *Ave*, cui perſimiles vidimus in aliis gemmis tum latine inſcriptis, tum græce.

30. Lapillus ovalis figuræ, in cujus facie unâ nihil plane, in altera Gallus, circa quem TOMAXIAC * *Tomachias*. Nomen, ut puto, proprium, mihi prorſus inauditum, nec ſatis dijudicare poſſum utrum ſit gen. maſcul. Τομαχίας Τομαχίȣ, an vero Τομαχία Τομαχίας: ſi maſculinum eſt caſus rectus, ſi fœmininum, caſus patrius. Utercumque ſit caſus, gemma ſignatoria eſſe poteſt, utroque enim caſu epiſtolas obſignabant, ut antea diximus. Gallus ille fortaſſe eſt obſignantis inſigne. Hujuſmodi enim inſignibus etiam veteres uſos aliquando fuiſſe alias monuimus. Cæterum τόμα idem eſt ac *forceps*, ἄκιος idem eſt ac *durus* [a].

TA-

a *Vide Lexicographos*.

TABULA VIII.

1. TAli duo ſupra, infra alii duo. Inter utroſque Q. SEM. Q. F. In Sarda ſignator. *Quinctus Sempronius Quincti Filius*. Hoc ſigno fortaſſe uſus, quia jactu talorum felix fuiſſet, vel ut eſſet in poſterum.

2. R. A. S in ſuperiori parte, in inferiori vero C. P. S. In Jaſp. flava ſignator. Prima littera non videtur eſſe nota prænominis. Etenim haud ſcio, an ullum prænomen per litteram R incipiat. Quare hic ſubeſt aliquid arcanum, & inextricabile.

3. DONATA. In Sarda ſignator. Nomen hoc proprium fœmin., eoque libertam neſcio quam apud Gruterum pag. DCCLVIII. appellatam invenias.

4. Columella, vel Clava, circa quam ALBINOVANA. In Granato ſignator. *Albinovanæ* familiæ mentio frequens apud veteres. Fœmina hæc utrum aliqua ex ea familia fuerit, an vero illius liberta, ex hac Inſcriptione non liquet.

5. AVCTILVS EROTIS. In Onyche ſignator. *Erotis Erotidos* eſt nomen proprium muliebre. *Eros Erotis* nomen proprium virile, & fortaſſe ſervile. Hîc *Erotis* habendum eſſe puto pro caſu patrio a recto *Eros* maſc., ita ut ſic intelligi poſſit *Auctilus Erotis filius*, vel etiam *ſervus*. Nam liberti quoque ſervos habebant ſuos.

6. Luna, ſupra quam ſtellæ tres, infra MIL. In Jaſp. Chalced. ſignator. Compendiaria illa nota MIL

eſt fortaſſe initium alicujus nominis proprii, cujuſmodi ſunt *Miles*, *Mildius*, *Milevilanus*, *Milleonius*, *Millonius*, *Milo* &c. De Luna & ſtellis alibi dictum.

7. EDCORVS * Vide Tab. I. num. 23. ubi idem hoc nomen, ſed gemmæ magnitudo, & figura non omnino eadem, illa enim duplici circulo ambitur.

8. V. F. S. In Onyche ſignator. Prima littera videtur debere eſſe prænomen, & ſi conſulas Indices Gruterianos, invenies eſſe prænomen. Sed præter ipſam litteram, alias Gruterus non addit, neque eam, ut ſolet, interpretatur. Capite enim vigeſimo, quod ſic inſcribitur: *Notarum, ac litterarum ſingularum, vocumque abbreviatarum interpretatio*, hæc habet: *V. Prænomen viri, & fœminæ vide Indicem Grammaticum*. In Indice autem Grammatico eſt: *V. Prænomen viri*, & affert exempla ſex. Deinde: *V. Prænomen fœminæ*, & affert exempla novem. Quare ſi F & S ſunt nomen & cognomen viri, mihi fingam *V. Fabius Secundus*, ſi ſunt nomen, & cognomen fœminæ, *V. Fannia Severa*, & hæc tantummodo exempli cauſa: nam quid ſibi velit V, cum tanti viri neſcierint, neque ipſe ſcio, neque docere alios poſſum.

9. Papilio, circaque eum Q. SALOPHONI. In Jaſp. Chalced. ſignator. Papilio animæ immortalitatem ſignificat, vel potius, inquit Sponius [a], *reciprocum illum animarum de corpore in corpus diſcurſum olim a Philoſophis creditum, cujus credulitatis primos authores Pythagoram, & Platonem facit Tertullianus, inquiens eos introduxiſſe revolubilem illum animarum recidivatum* ſemper

[a] *Miſcell. erud. antiquit. pag. 8.*

ſemper; & alterna mortuorum, & viventium ſuffectione, quæ metempſycoſis nullo ſymbolo commodius exprimi potuit, quam papilionis alis; cum hoc animalculum ſemper viciſſim moriatur in vermem, & ex eo iterum reviviſcat hac continua ſerie numquam deficiens [a]. Hac fortaſſe de cauſa Græcis ψυχὴ æquivocum erat, animamque, & papilionem ſignificabat. Hoc igitur ſigno in obſignandis epiſtolis Q. iſte Salophonius delectabatur, niſi ſit potius *Salophonus*; etenim ab utroque manare poteſt caſus patrius *Salophoni*, & deſinere in unum tantum I, ut antea diximus. Nomen non eſt Romanum, ſed peregrinum, & fortaſſe ſervile, deduciturque a σαλός, quod ſignificat *maris commotionem*, & φωνὴ φωνῆς, quod ſignificat *vocem*.

10. HIERAX VA; ſupra quas litteras palmæ ramulus, infra Caduceus jacentes. In Sarda ſignator. Vix unus reperietur, qui ſtatim *Hierax vale* eſſe legendum non arbitretur. Mihi tamen hoc negotium faceſſit de more, quod in gemma hac inverſæ ad obſignandum ſint litteræ. Quid enim? Omnes ne illi ad quos ſigillo hoc epiſtolæ obſignatæ dabantur Hieraces appellabantur? Verumtamen, qui hujuſmodi gemmas donandas ſcalpebant, utpote imperiti artifices non omnia ſemper circumſpiciebant, fierique poteſt, ut tamquam ſignatorias elaboraverint, quæ huic uſui deſtinatæ nequaquam forent. Cæterum ἱέραξ græce id eſt atque *accipiter*, & hoc eodem nomine cognominatus eſt Antiochus ille, *quia non hominis, ſed Accipitris ritu in alienis eripiendis vitam ſectaretur*, inquit Juſtinus [b].

Palma

a *Plin. l.* 11.

b *L.* 17. *c.* 2.

Palma plerumque victoriam, Caduceus concordiam deſignat.

11. ΜЄΓΑϹΘЄΟϹΑϹΚΛΗΠΙΟϹ. In Jaſp. virid. *Magnus Deus Æſculapius*. Amuletum fortaſſe ad impetrandam bonam valetudinem, conſervandamque Æſculapii ope, qui vulgo Medicæ artis Deus eſt habitus; niſi ſit gemma, ut ita dicam, votiva, aut donarium ex illis, quæ Diis offerebantur, & ad eorum ſimulacra ſuſpendebantur; cujuſmodi eſt illa, quam Cl. Præpoſitus Venuti in ea, de qua diximus, Diſſertatione profert, ubi eſt inſcriptum οὐρανία ἥρη, *Cæleſtis Juno*.

12. C GRAECAN VRBANI. In Sarda ſignator. *Caii Græcani Urbani*, niſi fallor. Prænomen, nomen &c. Græcanam, vel Græcanicam familiam apud eos, qui de Romanorum familiis commentaria ediderunt, nondum reperi; Græcinam non ſemel.

13. CASTRESIS VA interjecto palmæ ramulo inter ſuperiores, & inferiores litteras * *Caſtrenſis vale*. Videtur enim poſt E deſiderari N; quamquam etiam apud Gruterum pag. DXXVI. eſt *L. Helvius Caſtreſis*, & hæc Inſcriptio pertinet ad Antonini Pii tempora. Unam hanc ex gemmis illis, quæ dono dabantur, eſſe arbitror.

14. Equus currens, circa quem ЄΥΠЄΑ. In Jaſp. rub. ſignator. Fortaſſe vel eſt nomen proprium fœminæ obſignantis, vel nomen proprium equæ alicujus, quam pro inſigni ſuo fœmina, vel etiam vir obſignans delegerat. Hanc litteram Є ſemicirculari, & lunata forma, quam ſæpius in hiſce gemmis anti-

quis

quis deprehendimus. P. Eduardus Vitry in celebri Diſſertatione de Flavii Clementis tumulo, apud Græcos Europæos nonniſi circa Domitiani tempora, apud Latinos verò non conſueviſſe vulgo ſcribi niſi Juſtini fere, aut Juſtiniani Imperatoris ætate opinatur, ſæculo nimirum ſexto poſt Chriſtum natum. Sponius in eadem ſententia eſſe videtur [a]. Iſtud ipſum Є una cum characteribus aliis quadrata forma ad ſæculum VIII. referri poſſe cenſet Cl. P. Paullus Paciaudi C. R. [b] eruditione, & doctrina præſtantiſſimus, ſapientia, & humanitate etiam præſtantior.

15. Ramus frondoſus cum litteris ex uno latere ad perpendiculum DVF, ex alio LSA, & in extrema gemmæ parte alterum A. In Jaſp. rub. ſignator. In tanta rerum obſcuritate, atque caligine præſtat ſilere, quam ſi dicas aliquid, ſomniantem, aut etiam delirantem videri.

16. Laurei rami duo ita conjuncti, ut quaſi coronam efficiant. Ex uno latere clava, ex alio palmæ ramus. In Sardonyche. Signa ſunt fortitudinis, & victoriæ.

17. ATTAΛON. In Jaſp. rub. ſignator. Ἀττάλου ἀττάλου(ος), *Attalon Attalonos*. (Omnia tamen dubitanter dico, affirmate nihil. De O pro Ω in caſu recto hujuſmodi nominum dictum eſt antea.

18. ЭIHAIШNIA. In Jaſp. flav. ſignator, hoc eſt, εἴη αἰώνια, inverſo per errorem Є, *ſit æterna* ſubaudi *tibi vita*, vel *felicitas*.

19. TA-

a *Miſcell. erud. antiquit. ſect. 8. pag. 279.*
b *In Antiquit. Chriſtianis Diſſert. 4. c. 6.*

19. TABЄPBЄPЄ, in altera lapilli ſacie TЄ. In Magnete. Niſi ſit luſus aliquis ſyllabarum, nomen eſt valde peregrinum, & ſi eſt declinabile, non alio modo illud inflecti poſſe crederem, quam hoc *Taberberete Taberberetes*, ita ut *Taberberete* mulier fuerit aliqua, quæ hoc nomine appellaretur. Quid ſi aliquis contendat eſſe caſum vocandi a Ταβέρβερετος ταβερβερέτου? neque aſſentiar, neque diſſentiam.

20. ΒΡΑΔΥΣ ΩΚΥΝ. In Sarda ſignator. *Tardus celerem*, ſubaudi, ſi placet, *vincit*. Huc pertinet adagium illud *feſtina lente*.

21. Laurea, intra quam palma erecta *.

22. Chimera, quam vocant ex humano, & equino capitibus compoſita cum litteris ſupra poſitis L.V. A. I. In Jaſp. rub. ſignator. In autographo illud I videtur in extremo habere tranſverſam lineam, ita ut L potius, quam I eſſe credam. Tunc ſigla habere poſſent (exempli cauſa) hanc interpretationem *L. Valerius Auli Libertus*.

23. HELVIAE SAL. In Amethyſto ſignator. Suadere mihi non poſſum (ut alias monui) legendum hîc eſſe *Helviæ ſalutem*, aut *Helvia ſalve*; ſed potius ſuſpicor illud SAL ſecundum Helviæ nomen indicare, nimirum *Salviæ*. Huic rei argumento eſt Inſcriptio apud Gruterum pag. DCCLXX. 3.

TI CLAVDIO
CHRYSANTIO
VIX AN XI
FECIT
HELVIA SALVIA
CONIVGI SVO
B M F

Quapropter legendum exiſtimo *Helviæ Salviæ*.

24. Annulus æreus, in cujus pala IAꟺ CAꟺ AΔꟺNI. Ἰάω, inquit Macrobius [a], *nomen Cornelius Labeo in libro, cui titulus eſt de Oraculo Apollinis, Oraculi vim nominiſque interpretationem exſecutus eſt, qua Liber Pater & Sol* Ἰάω *ſignificatur*. Diodorus vero Siculus [b] *Deum Moſis appellatum eſſe ait* Ἰάω, *unde vox Jovis*. Vera nominis hujus origo eſt יָהּ unum videlicet ex decem nominibus Dei, ſignificans *Dominum* ab הָיָה *eſſe*, quod Deus omnibus rebus eſſe tribuat. Σάω, quis non videt eſſe idem ac Σάβαωϑ aliquibus additis litteris? AΔꟺNI pariter idem eſt atque *Adonai*, quod hebraice ſcribitur יְהוָה, nomen Dei ineffabile, quod ab Hebræis non profertur ut ſcribitur, ſed pro eo legunt אֲדֹנָי *Adonai*. Hæc autem omnia ſunt Baſilidianorum commenta, qui *Ethniciſmum cum Chriſtianiſmo confundere ſoliti fuerunt*, ut ait Cl. Sponius

a *Lib.* 1. *Saturnal. cap.* 18.
b *Biblioth. Hiſt. l.* 1.

nius Miſcell. erud. &c. ubi gemmas quaſdam hujus noſtræ ſimiles profert.

25. Laurea *

26. Laurea cum baccis. In Sarda.

27. VNIO ANIMA SVAVIS. In Chryſtall. ſignator. De hac dictum Tab. IV. num. 18.

28. POLAN * *Polana*, vel *Polanæ*; *Polanus*, vel *Polani*.

29. MAXIMAE VITA * Subaudi, ſi placet, felix contingat.

PARS

PARS II.

UBI

GEMMÆ ANTIQUÆ RARIORES.

TABULA I.

FIG. I.

CASSANDRA.

In Sarda.

CAſſandra Priami, & Hecubæ filia ab Apolline amatore juſſa, quantam vellet, mercedem petere vaticinandi ſcientiam poſtulavit, & conſecuta eſt. Eidem poſtmodum Apollo iratus effecit, ut ejus vaticinationibus nulla fides haberetur, ut eſt apud Virg. l. 2.

Tunc etiam fatis aperit Caſſandra futuris
Ora Dei juſſu non umquam credita Teucris.

Eam vero non ſolum a Templo, ſed etiam a Palladio, teſte Hygino Fab. 116. Ajax Oileus ſive Locrenſis abripuit. Quamobrem fulmine a Minerva ictus fuit, & *tempeſtate ad ſaxa*, ut ipſe ait, *alliſus, unde Ajacis petræ dictæ ſunt*. Addit Strabo l. 6. *Cum violaretur Caſſandra, Minervæ imaginem ferunt oculos avertiſſe*. Habemus in hac Sarda mirifice rem totam expreſſam. Ajax Caſſandram abripere conatur. Caſſandra ejus manus refugiens Minervæ ſimulacrum amplectitur. Minerva ipſa gladium diſtringens Ajaci ſeſe iratam oſtendit.

F I G. I I.

C A N D E L A B R U M.

In Onyche.

CAndelabrum Dei juſſu Moyſes in Tabernaculo collocavit. Ejuſdem materiam, & formam Deus ipſe præſcripſit: *Facies Candelabrum ductile de auro mundiſſimo: & facies lucernas ſeptem, & pones eas ſuper Candelabrum, ut luceant ex adverſo*. Simile Candelabrum poſtea Salomon in Templo dedicavit nodoſis utrimque ramis, quemadmodum a Joſepho [a] deſcribitur. Candelabri, quod Hieroſolymis aſportatum Romam fuit, exemplum habes in Arcu Titi, ubi & ipſius Titi de Judæis triumphantis effigies conſpicitur. Cur autem in veterum quoque Chriſtianorum ſepulchris expreſſum aliquando reperiatur [b], inter cæteras

teras

a *L. 7. cap. 6. Antiquit.* b *Vide Boſium Roma ſotterranea l. 4. cap. 46.*

teras interpretationes hanc etiam affert, quod Judæi quidem Meſſiæ olim venturi typum, Chriſtiani verò Meſſiæ ejuſdem figuram, ſed qui in terras jam deſcendiſſet, Candelabrum eſſe cenſerent. Tale utique Candelabrum Judæorum in hoc Ficoronio Onyche artifex imitari voluit. Infra illud eſt palmæ ramus, quaſi Paleſtinæ regionem deſignans. Eſt & cornu olei, quo gentis illius Reges, ac Pontifices ungebantur, cum ſolemni ritu, ac religione conſecrarentur. Vas autem tumidius appoſitum, niſi notet illud, in quo Dei juſſu manna reconditum aſſervabatur, oleum fortaſſe alterum continet. Duplex enim oleum ſacri interpretes aliqui adhibitum fuiſſe putant; alterum, quo Pontifices, alterum, quo Reges inaugurarentur. Stante illo Cylindro neſcio an ara aliqua, an legis volumen ſignificetur. Candelabra, & ſacra Judæorum inſtrumenta ſimilia affert Cl. Senator Philippus Buonarruoti [a].

F I G. I I I.

CANDELABRUM.

In Chryſtallo.

Candelabrum hoc aliud rudius elaboratum animadvertes, cujus non diſſimile eſt in Lucerna, quam profert Petrus Sanctes Bartoli parte 3. Candelabra hujuſmodi alia videre potes in Inſcriptionibus Fabretianis pag. CCCLXXXIX. & DXXXVII. In lapide vero apud Muratorium pag. MDCCCXXIX. Candelabra formæ

a *In antiquis vitreis vaſis depictis Tab. 2. & 3.*

mæ hujus tria ſunt cum inſcriptione italico, latinoque ſermone permixta:

Qui jacet Anto
ni Dio Te guardi
& Jacoba ſua uxor.

In Muſeo Kirkeriano extat urnæ marmoreæ operculum, ubi Candelabrum pariter ἑπτάλυκνον inſculptum una cum palmæ ramo adjectis his verſibus:

Ἔνθα δὲ κεῖται Φαυςῖνα
שלן

Hic jacet Fauſtina
Pax.

In medio Candelabro eſt Baſilidianis, aliiſque hæreticis uſitatum vocabulum illud Ἰάω, de quo antea diximus Parte I. Tab. VIII. num. 24. Quid ſibi velint reliquæ illæ ſuperſtitioſæ litteræ partim ſupra Candelabrum, partim illi interſertæ docere velle ſtultum omnino eſſe reputo.

TA-

TABULA II.

Africanorum plerumque virorum, & mulierum capita continens.

FIG. I.

In vitro obſidiano, vulgo paſta antica, *topatii colore.*

AFricani alicujus hominis caput hoc eſſe apparet ex oris, vultuſque conformatione, qualis gentis illius eſſe ſolet, brevibus nimirum, & criſpatis capillis, naribus depreſſis, patulo plerumque ore, cujuſmodi ſunt in Tabula hac vultus reliqui. Pileus ſimilis eſt Ollæ operculo, Chlamys fibulâ eſt ad humerum connexa. Nobilis hæc Africani bellatoris cujuſpiam effigies exiſtimanda. Conſimilem hujus in Sarda ſeſe habuiſſe, Ficoronus teſtatur.

FIG. II.

In Sarda.

AFricani adoleſcentis hominis caput cum pileo, vel quaſi galea minuſculis globulis quibuſdam veluti unionibus redimita.

FIG. III.

Anaglyphon ex vitro obſidiano, vulgo paſta antica, *colore ſupernè candido, inferne nigro inſtar Onyculi.*

MUlier Africana, coma breviſſima, quodam quaſi nodo circa occiput prominente, torquem neſcio quem circa collum, inaures ex unionibus duobus grandioribus habens.

FIG. IV.

In Achate ſubobſcuro.

JUvenis Africani caput auribus grandioribus, craſſioribus pariter labris, patuloque ore.

FIG. V.

In Achate ſubnigro.

CAput aliud ſuperioris non diſſimile.

FIG. VI.

CAput juvenile, brevi collo, criſpatis capillis, ore anguſto, vultuque porrecto, quod Africani alicujus agreſtis hominis Ficoronus eſſe credidit.

FIG. VII.

In Achate ſubnigro.

NUdi hominis effigies cum thiara, promiſsâque barba, arcum, & ſagittam ſiniſtra manu retinentis, Perſæ fortaſſe alicujus regii. Hoc enim imaginum genere Perſarum nummi aliqui ſignati ſunt.

FIG. VIII.

JUnioris Africani caput criſpatis capillis, fibulâ chlamydem habens ad humerum dexterum connexam, ut in prima Tabulæ hujus ejuſdem figura. Verumtamen gemmæ genus, in qua fuerit hæc effigies inſculpta, Ficoronus in ſuis adverſariis non memorat.

TABULA III.

FIG. I.

FAUSTINA MAJOR.

Anaglyphon in Sarda.

PRotome hæc junioris fœminæ effigiem bene comptis, capitique circumvolutis capillis exhibet. Bulla aurea ex collo dependet, quam fuiſſe nobilium puerorum inſigne, & etiam fœminarum in ſuo de Bulla aurea commentario Ficoronus oſtendit; Fauſtinæ Majoris Antonini Pii uxoris imaginem hanc eſſe

antiquarum rerum periti facile animadvertent. Verumtamen duo plane ſingularia ſunt hîc adnotanda. Primum Fauſtinam hujuſmodi Bullæ aureæ inſigni decoratam, præterquam in hac noſtra gemma non tam facile reperiri, deinde longe illis ampliorem eſſe bullam hanc auream, quas fœminæ ornamenti causâ ſolum geſtarent. Multo enim anguſtiores fœminarum bullas fuiſſe fusè docet Cl. Thomas Dempſterus in ſua Hetruria Regali Tom. 1. Tab. 31. pag. 205. Hæc autem noſtra magnitudine ſua aureis nobilium puerorum Bullis æquatur, quarum exempla ex Muſeo Chiſio profert in ſuo Muſeo Romano Michael Angelus Cauſæus.

F I G. I I.

Phrygii hominis vultus in una lapilli facie, Scarabæus in altera.

Pileum in anteriora recidentem geſtare Phrygiorum mos erat, inquit Cl. Jacobus Sponius [a], *ut videre eſt in nummo Hadriani Reſtitutoris Phrygiæ, aliiſque nummis Ilienſium, in quibus Æneas*. Ibidem affert Midæ Phrygiæ Regis nummum hoc eodem pileo caput habentis indutum cum inſcriptione ΜΙΔΑC ΒΑCΙΛΕΥC. Poteſt igitur imago noſtra huic eidem ipſi Midæ, poteſt Attidi, poteſt Paridi, poteſt aliis Phrygibus convenire. Scarabæus vero, qui eſt in altera lapilli facie non indicat, in parte alia eſſe Ægyptii hominis effigiem, quod falsò Ficoronus exiſtimavit. Etenim animal illud non apud Ægyptios modo, ſed etiam apud

a *Miſcell. erud. antiquit. ſect. 4. pag. 131.*

apud nationes alias in honore aliquo habitum fuiſſe, conſtat. Audiatur Jo. Jac. Chifletius in Anaſtaſi Childerici cap. 18. pag. 268. *Erant*, inquit, *hi gemmei Scarabæi geſtamina virorum militarium, quibus robur, & animum addi congreſſuris exiſtimabant, quod negarent Scarabæos inter fœminam inveniri* [a].

FIG. III.

MULIER ÆTHIOPICA.

Anaglyphon ex Onyche.

UT clarius appareret eſſe hanc Æthiopicæ Mulieris effigiem ad aream effingendam candidam, artifex Onychis partem delegit. Ex alia prorſus nigrâ caput, vultum, collum, humeros, & pectus conformavit.

FIG. IV.

LUCRETIA.

In vitro obſidiano, vulgo paſta antica.

NEfarium hîc ſcelus illud deſcribitur, de quo T. Livius his verbis narrat: *Sex. Tarquinius ſtricto gladio ad dormientem Lucretiam venit, ſiniſtrâque manu mulieris pectore oppreſſo, tace Lucretia, inquit,*

a *Præter Plinium l.* 30. *c.* 11. *Porphyrium apud Euſebium lib.* 3. *cap.* 3. *Vide Raph. Fabretti Inſcript. c.* VII. *pag.* 532. *Buonarruoti pag.* 225. *Montfaucon. Tom.* II. *P.* II. *l.* I. *cap.* 18.

Sextus Tarquinius ſum. Ferrum in manu eſt; moriere, ſi emiſeris vocem. Gladium alium in baſi divinando dicere poſſumus eſſe illum, quo *jugulatum ſervum nudum ſe poſiturum minitatus eſt, ut in ſordido adulterio necata diceretur, niſi precibus expugnari ſe ſineret.* In ſumma, quam diximus, baſi, Pſyche eſt contracto corpore, vultuque aliorſum converſa, quaſi teterrimum ipſius Tarquinii ſcelus deteſtans. Hac autem Pſyches figura nihil aliud artificem, quam ipſius Lucretiæ animam e corpore avolantem ſignificare voluiſſe ſuſpicor. Nomen enim Pſyche æquivocum eſt apud Græcos, ita ut Apollinis Edelichiæque filiam, vel animam ipſam ſignificet, quod recte adnotavit Fulgentius, ubi ex fabulis ipſis veritatis ſpeciem aliquam inveſtigans Pſyches, & Cupidinis nuptias interpretatur.

F I G. V.

HIPPOMENES, ET ATALANTA.

In Sarda.

CUm virum hunc, & mulierem in ſcopulo ſedentes aſpicimus, nihil dubitandum videtur, quin Hippomenes, & Atalanta habendi ſint. Hippomenes malum aureum oſtentat, quo in terram extra viam projecto illam curſu vicit, & uxorem obtinuit. Scutum recte humi jacet. Atalantæ enim Proci inermes debebant currere; tametſi illos ipſa cum telo inſequeretur, &, quem curſu aſſequi non poſſet, telo confoderet.

FIG.

FIG. VI.

RHEA SILVIA.

In Sarda.

RHea Sylvia Numitoris Albanorum Regis filia ab Amulio Patruo Virgo Veſtalis electa, a Marte deinde compreſſa Romulum, & Remum geminos peperit. Appellata eſt etiam Ilia. De ea ſic Juppiter apud Virg. l. 1. Æn.

donec Regina Sacerdos
Marte gravis geminam partu dabit Ilia prolem.

Fabulam hanc ipſam exprimere voluiſſe videtur artifex in hac gemma; operiſque faciendi ſibi tamquam, exemplar propoſuit Antonini nummum, in quo hæc eadem effigies conſpicitur, quem vide apud Antonium Biæum, Joannem Vaillantium, & alios.

FIG. VII.

C. PLAUTIUS HYPSÆUS.

In Jaſp. rub.

C. Plautius Hypſæus Coſ. anno U. C. 406. atque iterum anno 412. (ſic apud Jo. Glandorpium) Volſcos vicit, Privernum cæpit, & de Privernatibus triumphavit anno 424. Inter Familiæ Plautiæ numiſmata denarius eſt, ubi C. ipſe Hypſæus quadrigis vehi-

vehitur. Inſcriptio eſt hujuſmodi, ſupra *P. Hypſæus Æd. Cur.*, a latere *Captu*, infra vero *C. Vpſeus Coſ. Preivern.* Denarius alter ſic eſt inſcriptus: a latere *Cæpit*: infra *C. Ypſæ Coſ. Priv.* Urſinus in hunc modum interpretatur: *Plautius Hypſæus Ædilis Curulis denarium ſignavit*. Deinde: *C. HVPSÆO Conſule Preivernum captum*: More antiquo V pro Y & *Captu* ſine littera M. Eadem erit ſententia in hoc noſtro Jaſpide ſi rite ordinentur vocabula. Etenim denariorum illorum tum imagines, tum inſcriptiones videtur artifex excribere voluiſſet, niſi quod pro quadrigis, bigas poſuit.

FIG. VIII.

NAVIGIUM.

In Sardonyche.

NAvigium longiuſculum, in cujus prora ſtans juvenis tuba canit, tibiis juvenis alter ſedens in puppi; in media navi Abacus, ſupra quem nudi juvenes alii duo acuminatis pileis contecti. Hi autem ſaltantium Ludionum ritu neſcio quas breves virgulas ſive ferreas, ſive æreas in manibus habentes ad ſonum veluti edendum collidunt; infra navigium ipſum paluſtres plantæ tres, totidemque aves fluviatiles conſpiciuntur. Hæc omnia Ægypti regionem, ægyptios homines, ægyptioſque ritus denotare Ficorono viſa ſunt. Illius gentis ludi, ſaltationeſque, *cum ſpectator erat grata novitate morandus*, in Romanis etiam Theatris uſurpabantur. Similia certe inveniuntur

niuntur in Romanorum Lucernis, quarum unam Petrus Sanctes Bartolus profert Part. I. Tab. 37. Pavimentum antiquum muſivo opere elaboratum, & ad Villam Corſinam prope S. Pancratii ædem detectum, ubi ſaltatores non abſimiles apparent, eleganter delineatum, Tabula XXXVIII. Petrus idem Sanctes Bartoli exponit.

TABULA VI.

FIG. I.

HERACLIDES TARENTINUS.

In Achate.

IN hoc trium colorum Achate ſedentis juvenis imago eſt inſculpta volumen lectitantis, & ex adverſo Hermam habet, cujus facies Platonis eſſe videtur: lectorem autem ipſum Heraclidem Tarentinum eſſe opinatus eſt Ficoronus; ſiquidem perſimilis effigies illi eſt, quam affert Grævius [a]. Hac autem rerum imagine, ac ſpecie Heraclidem in Platonicorum Scriptorum lectione diligenter fuiſſe verſatum ſignificare artifex fortaſſe voluit.

FIG.

a *Tom. 2. Part. 2. Theſ. Antiq. Græc.*

FIG. II.

PHILÆMON.

In Sarda.

SEnex hic ſeminudus, barbatus, calvus, & nodoſum ſcipionem dextrâ tenens, ſedenſque pariter volumen perlegit. Ea ſunt oris lineamenta, quibus Philæmon pingi, vel fingi ſolet. Philæmon Poeta comicus fuit, de quo Quinctilianus: *Quamvis*, inquit, *pravis ſui temporis judiciis Menandro ſæpe prælatus, conſenſu tamen omnium meruit ſecundus credi*. Ex adverſo Herma Dei Panos eſt, qui cum eſſet & ipſe Capripes unâ fortaſſe cum ſatyris capripedibus a Poetis comicis in ſcenam inducebatur [a].

FIG. III.

PHILOSOPHUS.

In Onyche.

SEdens hîc etiam Philoſophus exhibetur, ſiniſtrâ manu ſcipionem, & volumen retinens. Dexteræ digitum indicem fronti admovet, perinde ac ſi intento animo ſecum ipſe aliquid meditetur, & de iis, quæ legerit, cogitet.

FIG.

a *Vide Horatium in Arte Poetica.*

FIG. IV.

PALAMEDES.

In Jaſpide viridi.

TOga corpori circumvoluta, clypeoque in tergum rejecto juvenis ſtans juxta turriculam manum ad illam intendit, quaſi pictas in uno ex ejus lateribus litteras indicaturus. Ordo litterarum eſt ad perpendiculum prout Sinenſes illas diſponunt. Litteræ autem ipſæ græcæ ſunt, ſed non vulgari figura omnes conſcriptæ. Stantem igitur juvenem in hoc Jaſpide expreſſum unum eſſe poſſumus ex litterarum inventoribus exiſtimare. Quod ad Græcos attinet, ſexdecim earum formas adinveniſſe Palamedem Tacitus narrat [a]. Plinius vero ſexdecim e Phœnicia Cadmum intuliſſe author eſt [b], quibus bello Trojano a Palamede quatuor adjectæ fuerint; totidem poſtea a Simonide Melico, Ariſtoteles vero apud eumdem Plinium alios litterarum græcarum inventores commemorat.

FIG. V.

PROMETHEUS.

In Sarda.

POſtquam creata fuerant animalia cætera, hominem ex luto fictum a Prometheo fuiſſe Poetæ fabulis prodiderunt. Ut hujuſmodi fabulam in Sarda artifex

L

a *Annal. lib.* II. c. 14.

b *Lib.* VII. *cap.* 56.

ſex oculis inſpicientium ſubjiceret, ovem, & equum tamquam animantium ſpecimen poſuit: Hominis ſimulacrum vero inter duo arrectaria tigna ſuſpenſum, Prometheumque ipſum ſenem opus abſolvere properantem effecit.

F I G. V I.

H Y M E N Æ U S.

In Sarda.

DÆdalum in hac Sarda inſculptum eſſe Ficoronus exiſtimavit, eumdemque, poſtquam Icari humeris alas cera conglutinatas aptaverat, eo geſtu, quo alloquentem videmus, volandi filio præcepta tradere. Ex altera parte ſedentem fœminam, unam ex Liberalibus Artibus eſſe, quibus tantum inter cæteros excelluiſſe Dædalum legimus. Rectius Cl. Baro Philippus Stoſchius interpretatur alatum illum juvenem Hymenæum eſſe, qui cum provecta ætate viro conjungere matrimonio puellam faſtidientem conetur.

TA-

TABULA V.

FIG. I.

SCULPTOR DEAM ISIDEM FINGENS.

In Sarda.

SCulptor poſtquam ex argilla Deæ Iſidis caput cum modio, & ejuſdem collum effinxit, oculis adhibito ligneo ſtylo diligenter polit, ac perficit. Opus autem ipſum eo tripodis genere ſuſtinetur, cui artefacta ſua imponere etiam opifices noſtri ſolent.

FIG. II.

VULCANUS ÆNÆÆ CLYPEUM FABRICANS.

In Onyche.

VUlcani imaginem hanc Ficoronus eſſe credidit, qui poſtquam Veneris rogatu Clypeum Ænææ dono dandum perfecit, & ejuſdem ſuperficiem percurrens Ænææ ipſius poſterorum res geſtas ab ſe ſe ibidem cælatas recognoſcat, & in iiſdem recognoſcendis, atque inſpiciendis magnopere delectetur.

FIG. III.

GLOBI ÆREI ARTIFEX.

In Sardonyche.

ARtifex æreum globum tripodi ſuperimpoſitum malleo contundit, ac format. Globi hujuſmodi in ædium faſtigiis ornamento quondam erant, ſicuti hodie alicubi etiam ſunt. Intra eos aliquando Cæſarum cineres aſſervabantur. Illos præterea in dextera Romanorum Imperatorum collocatos aſpicimus a ſtatuariis, qui eos vellent univerſi fermè terrarum orbis eſſe dominatores oſtendere.

FIG. IV.

PICTOR.

In Sarda.

SUper baſi, ubi Gryps eſt exculptus ſedens juvenis tabellam tenens in ea intentis oculis pingit neſcio quid. Ad pedes vaſculum jacet rotunda forma, ubi fortaſſe colorata materia aſſervatur. Ex adverſo baſis eſt alia, ex cujus latere juvenilis facies exculpta prominet. Supra baſim hanc columella. Supra columellam hanc ipſam vas elegans. Ea omnia, qui pingunt, aut fingunt retinere ſolent; eademque tamquam exemplaria ſibi ad imitandum proponere.

FIG.

FIG. V.

VULCANUS ARMORUM FABRICATOR.

SUpra columnam poſita eſt Galea jam perfecta. Juxta eamdem ſedens Vulcanus Clypeum pene abſolutum malleo percutiens diligentius conformat. Minervamque interim galeatam, atque haſtatam, eamdemque Deam armipotentem, nec non artium, ac bellorum præſidem fabricandi modum ſeſe docentem exaudit.

FIG. VI.

STATUARIUS.

In Sarda.

STatuarius ætate provectior fœminæ adoleſcentis caput e marmore, malleo, ſcalproque inſtructus effingit. Marmor ipſum, quod ſupra etiam vidimus, ligneo tripode ſuſtinetur.

FIG. VII.

NAVIUM FABRICATOR.

In Onyche.

NAvium fabricator proram aſcia polit, ac perficit. *Corinthii*, inquit Thucidides in prooemio, *primi feruntur naves excogitaſſe, quæ ad eam, quæ nunc*

in

in uſu eſt, *formam*, *proxime accederent*. Verumtamen hac de re Scriptorum antiquorum variæ, diſcrepanteſque ſententiæ ſunt.

TABULA VI.

FIG. I.

EUROTAS.

In Onyche.

FLuminum ſpecies, atque figura hæc apud ſculptores, pictoreſque veteres fuit: Senex acclinis, cubitoque innixus oris anguſti urnæ, unde aqua deorſum profluat; quique in altera manu arundinem, arundinibuſque aliis caput præcinctum habeat. Hujuſmodi in hoc verſicolori onyche forma eſt, cui adſcriptum græcis litteris Fluminis ipſius nomen Εὐρώτας. Eurotas, de quo frequentior apud Scriptores eſt mentio, illud eſt, quod in Arcadia non procul ab Alphæo, vicoque Aſea prope Megalopolim oriens, Lacedæmonem urbem præterfluit. Eſt enim flumen aliud prope Tarentum, quod, inquit Polybius ſub finem lib. 8. aliqui *Galeſum*, aliqui *Eurotam* appellant.

FIG.

FIG. II.

CISIUM.

In Onyche.

IN hoc Onyche macula cærulea, aliaque nigra diſtincto Ciſii veteris forma eſt inſculpta, quod etiam Birotum a veteribus appellatum invenies apud Non. c. 2. num. 139. De Ciſiis Cicero loquitur in Oratione pro Sex. Roſcio, ubi vehiculi genus eſſe ad iter quamcelerrime faciendum, declarat. In hoc autem noſtro Ciſio nobilem puellam ſedentem vides talari tunica, colligatiſque, & in humerum defluentibus capillis, quæ habenas, flagellumque manu retinens curſitantem equum moderatur, atque incitat. Hujuſmodi Ciſiorum exemplum videre etiam potes in anaglypho ex marmore apud Cl. Ludovicum Muratorium in novo veterum Inſcriptionum Theſauro Tom. 1. pag. 158. Exiguum ex argento Ciſium cum fulcris ad tergum, & cubitos ſuſtinendos erutum in Monte Cæliolo ſe ſe vidiſſe Ficoronus teſtatur.

FIG. III.

HORATIUS FLACCUS.

In Sarda valde rubra.

HErmæ, inquit Macrobius, *ſimulacra Mercurii ſunt quadrato ſtatu figuratæ ſolo capite... Capita poſtea in hujuſmodi ſimulacris eſſe cœperunt etiam alia Deorum,* *vel*

vel etiam hominum. Hic juvenile hominis caput, & collum eſt, immo etiam pectus, qui veſtimento ex humeris defluente ſibi manus cooperit, illudque ad latera adſtringit. Ficorono facies hæc eadem, atque Horatii Flacci Poetæ præſtantiſſimi viſa fuit, cum ei ſit perſimilis, quæ in antiquo nummo conſpicitur. Nummum autem Horatii capite ſignatum, & cum illius nominis inſcriptione in ſuo Commentario de antiquo Labico ipſe Ficoronus exponit. De iſtiuſmodi Hermis plura vide apud Cl. Sponium [a], plura etiam apud Cl. Bottarium [b].

F I G. I V.

C A N O P U S.

In Achate.

AChatem hunc ex rarioribus eſſe unum, Ficoronus affirmat, utpote colorum omnino ſeptem varietate diſtinctum. In eo Canopi effigies inciſa. Canopi complures viſuntur ex marmore præſertim Ægyptio, quod Baſaltes græce, & latine nominatur, Loti ramulo, & flore Numinum aliorum ritu in eorum capitibus ſuperpoſito. Celeberrimus, & perelegans unus eſt in Muſeo Capitolino, in Canopi cella, quæ dicitur, ſupra ſtriatam columnam ſitus. Cæterum Canopum ſuum in gemma habent Leonardus Auguſtinus, ſuum Michaelangelus Cauſeus, & alii vulgo, qui

a *Miſcell. erud. antiquit. ſect. 1. art. 4. pag. 9.*
b *In Præfat. 1. Tom. Muſei Capitolini.*

qui antiquas gemmas collegerint. Canopum ſic Euſebius deſcribit [a]: *Ipſius*, inquit, *ſimulacrum pedibus perexiguis, attracto collo, & quaſi ſugillato, ventre tumido in modum Hydriæ cum dorſo æqualiter tereti formabatur*. Ejus fabula notiſſima eſt ex Suida, & Ruffino [b]. De Loto, quam diximus uſitatum eſſe Ægyptiorum Numinum ornamentum, vide Gisber. Cuperum in Harpocrat. pag. 19. & Plutarchum in Iſide.

F I G. V.

INSTRUMENTA FABRILIA.

In Sarda.

SUnt hîc inſtrumenta tria, Aſcia, Circinus, & Norma, qualia etiam hac ætate adhibemus. In Muſeo Kirkeriano muri fragmentum concavum aſſervatur, ubi pictus Architectus viridi indutus veſtimento, dextera manu graphium, ſiniſtra vero tabellam ceratam tenens cum regula in pedes, & palmos diviſa. Hinc, atque inde Norma, & Perpendiculum. Monumentum hoc defoſſum fuit anno 1726. menſe Novembri in Via Appia prope arcum Druſi ex cella ſepulcrali, ubi cinerariæ aliquot erant ollæ. Imaginis autem hujus apographum Marchio Alexander Gregorius Capponius accurate delineandum, ærique diligenter incidendum curavit.

a *L. 2. Hiſt. Eccl.* b *Hiſt. Eccl. l. 2. cap. 26.*

FIG. VI.

INSTRUMENTA SACRIFICALIA.

In Sarda.

IN hac pellucente Sarda ſacrificiorum inſtrumenta fere omnia deſcripta ſunt. Culter, Diſcus, Apex, Præfericulum, Sympulum, Lituus, Malleus, & Aſpergillum ex equinæ caudæ pilis confectum, quo Sacerdotes aquam luſtralem aſpergerent, ſive, ut quibuſdam videtur, patera oblonga, cujus eſt exemplum in Kirckeriano. Pleraque ex his recognoſcere potes apud Cauſeum in Muſeo Romano [a], quæ quidem ille à ſe ex Arcu Septimii Severi, & Antonini Caracallæ ad S. Georgii in Velabro deſumpta eſſe teſtatur.

TABULA VII.

FIG. I.

TEMPLUM.

In Jaſpide rubro.

TEmplum habemus cum Porticu exaſtylo, ad cujus latera litteræ M. F. Infra verò CAMILLVS, ideſt *M. Furius Camillus*, qui recuperata ex Gallis Senonibus Patriâ Senatusconſultum fecit, quo mandabatur Templum in Via Nova Deo Aio Locutio fieri [b]. FIG.

a *Tom. 2. ſect. 3. Tab. 3. & ſequentibus.*
b *De ea re Liv. l. 5. cap. 29. & de Ajo Locutio vid. Cic. de Divin. l. 1.*

FIG. II.

TEMPLUM.

In Sarda.

PErelegans enim vero opus. Nam Templi hujus columnæ ad gemmæ latera inciſæ ſunt. Templum vero ipſum extante inſtar anaglyphi figurâ prominet; ſicuti etiam gradus, per quos ad Templi januam aſcenditur. In Templi facie, & ſupra, quam dixi, januam, rotunda & anguſta eſt feneſtra, unde lux in interiores partes diffunditur. Forma Templi octagona, circa cujus tholum ſtellæ viſuntur numero ſex. Non temere opinari poſſumus ſacram hanc Ædem Soli dicatam eſſe, & per ſex illas Stellas Planetas reliquos ſignificari.

FIG. III.

TEMPLUM.

In Jaſp. rub.

TEmplum hoc unum eſſe ex agreſtibus, & ruſticis ſatis indicat arbor, qua inumbratur, nec non Herma Priapi, cui dicatum videtur, utpote qui agrorum, hortorumque Deus eſt habitus. Hîc autem unus ex alatis Cupidinibus ſacra peragit, & in ara juxta poſita odores incendit.

FIG. IV.

PORTUS.

In Ectypa Gemma ex Muſeo Barberino.

PEramplus hic Portus, Turris, Crepido, Propugnaculum, atque Navigia. In ipſo aditu, ut opinatus eſt Ficoronus, ſphæra armillaris, quam vocant, quia ex circulis majoribus, minoribuſque tamquam ex armillis componitur. Ob eam rem ſunt qui Syracuſani antiqui Portus effigiem hanc eſſe ſentiant, ubi Marcello eam urbem navali obſidione cingenti magno impedimento ſuis machinis Archimedes ſphæræ hujus inventor fuiſſe dicitur. Quam ſphæram armillarem, Ficoronus exiſtimavit, maluerunt ſapientes alii viri Pharum eſſe, ſive turrim in medio ipſo mari ſitam, in qua, appoſitis noctu luminibus, poſſent iter facientes Portum proſpicere, & ad illum tutius appellere.

FIG. V.

TEMPLUM FORTUNÆ.

In Sarda.

TEmplum hîc habes rotunda forma, cujus tectum atque faſtigium quatuor columnis fulcitur. In medio figura muliebris cum gubernaculo, & cornucopiæ. Cornuacopiæ alia duo in epiſtylio. Hæc nihil dubitandum, quin imago Fortunæ ſit, quemadmodum illam

illam expreſſam in nummis videmus, a qua divitias omnes, & opes manare Ethnici illi ſtultiſſimi homines exiſtimabant.

FIG. VI.

ÆDIFICIUM.

In vitro obſidiano, vulgo paſta antica, *coloris ſmaragdini*.

DOmus ex ſecto, quadratoque marmore; ſupra eam vaſa duo. In medio tholus. Infra janua patens adaperta fore, ac latente intus muliere. In ſuperiore contignatione mulier alia januæ minoris, quæ quaſi feneſtræ loco eſt, forem adaperiens. In ſolario denique mulier item alia viam, vel agrum cubito innixa deſpectans. Quid ſibi velit hoc ædificii genus, quid ſibi tres illæ mulieres; ruſtica, an urbana turris, vel domus ea ſit, ſe ſe ignorare Ficoronus fatetur. Hic animadvertere potes forium etymon, quæ ab adverbio *foras* dicebantur, quia foras aperirentur, & quid ſit apud veteres fores crepuiſſe vel concrepuiſſe; quia qui domo exibant, intus prius oſtium percutiebant, ut eo crepitu tranſeuntes recederent, neve forium ipſarum impulſu læderentur. Hinc illa apud Terentium [a] *Concrepuit a Glycerio oſtium, & apud Plautum* [b]: *Orationem comprimam! crepuit foris*.

FIG.

a *Andr. IV.* 1. 58. b *Amph.* 1. 2. 3. *&c.*

TABULA VIII.

FIG. I.

SYMBOLA.

In Sarda.

MAgna rerum varietas. Lyra, Corona, Vas, Forceps, Papilio, atque hominis Calvaria. Apud Cauſeum [b] Sarda eſt omnino ſimilis, ubi hæc eadem Symbola inſculpta ſunt; niſi quod pro Calvaria eſt Scarabæus, pro forcipibus tibiæ duæ. *Lyra*, inquit ipſe, *ſeptem orbium cœleſtium motum ſignificat. Laurea Apollinem, qui idem ac Sol a priſcis eſt habitus, Tibiæ Minervam, quandoquidem earum inventrix fuiſſe dicitur. Minerva autem ab Ægyptiis Iſidis nomine colebatur. Iſis autem ab aliquibus eadem exiſtimata eſt atque Luna. Adde Tibias etiam Veneri dicatas olim fuiſſe, quæ apud Macrobium eadem ac Luna ipſa etiam eſt habita* [a]. *Vas indicat humorem eſſe rerum omnium principium, ſolebatque in Iſidis pompa circumferri*. Supereſt ut de Calvaria, & Papilione dicamus: Calvaria utique hominis interitum ſignificat, Papilio animæ immortalitatem. De forcipibus præſtat omnino ſilere, quam abſurde aliquid pronunciare.

FIG.

a *Saturn. l. 3. cap. 8.*

FIG. II.

TROJÆ URBS.

In Jaſp. rub.

QUid ſibi velit ædificium hoc, Ficorono in mentem non venit. Cl. Baro Philippus Stoſchius in hujuſmodi rebus maxime omnium peritus rem totam expediit. Is enim Trojæ urbis hanc eſſe imaginem planum fecit gemmis duabus aliis prolatis, in quibus idem plane ædificium, eademque forma inſpicitur inſculptum. Jam vero in illarum altera Hector ab Achille circum Iliacos muros raptatus apparet. Ergo ſi in gemma illâ Troja inſculpta fuit, in hac etiam noſtra Urbs eadem inſculpta fuiſſe dicenda eſt.

FIG. III.

HUMANÆ VITÆ CURSUS, ET FINIS.

In Sarda.

ROta, & Calvaria inter Bilances humanæ vitæ curſum, & finem indicare poſſunt. Per mortem enim homines omnes æquilibres, ut ita dicam, evadunt; quo illud Horatii pertinet l. 2. Od. 4.

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regumque turres.

FIG.

FIG. IV.

SCHELETON.

Ex ære.

OSſium humanorum compages hæc eſt, quam Scheleton Græci nominant, ex virgulis æreis concinnata. Monumentum hoc in Muſeo Kirkeriano, ſive potius Contucciano aſſervatur. Fieri poteſt ut Anatomes ſtudioſo, vel ſculptori alicui uſui fuerit; cum ita connexæ ſint partes, ut hac illac caput, & brachia circumvolvi facile poſſint. Veteribus aliquando hic etiam mos fuit, ut in conviviis hujuſmodi ſimulacrum exponerent. Eo enim inſpecto avidius ſeſe ingurgitabant, cum viderent mortem voluptatum omnium finem inſtare [a]. Integri Scheleti effigiem in Sardonyche Cl. Senator Buonarruotus exhibet [b].

FIG. V.

LIBERTAS.

In vitro obſidiano, vulgo paſta antica.

FOrnix eſt, ſupra quem fœmina quaſi triumphantis in modum equis quatuor inſignibus vecta. Manus hinc, atque inde protendentes adoleſcentes duo, ſuum

a *Vide Petron. Arb. Herod. l. 2. Plutarch. in Conviv. ſeptem ſapient.*

b *In Lib. de vitris antiquis Tab. 28. Fig. 3.*

ſuum uterque illi pileum oſtentant, perinde ac ſi gratum illi animum profiteri velint, quod Libertatem (cujus ſignum eſt pileus) adepti fuerint. Quare mulierem illam eſſe Libertatem ipſam, Ficoronii interpretatio eſt, ſed interpretationem hanc homines eruditi alii non probant. Cæterum ſpeciem hanc, atque imaginem aliqua ſaltem ex parte mutuatus artifex eſſe videtur ab aureo Auguſti nummo, quem videre potes apud Sebaſtianum Erizzo [a], & apud Jacobum Biæum [b] cum hac inſcriptione: CIVIB. ET. SIGNIS. MILIT. A. PARTHIS. RECVP.

FIG. VI.

TEMPUS.

In Sarda.

SEnex barbatus, alatuſque, Tempus, & ejus antiquitatem, velocitatemque ſignificat, idemque, dum extinctam fœminam juniorem gremio continet, inſpicientes commonefacere videtur velle, ſeſe immaturâ morte adoleſcentum quoque hominum vitam extinguere.

a *Pag. mihi* 147.

b *Pag.* 13. *n.* 15. & 16.

FIG. VII.

GENIUS PLACANDUS.

In Sardonyche.

GEnius juvenili figura, atque ſpecie, & plerumque alatus effingebatur, quemadmodum illum in antiquis monumentis aſpicimus. Exiſtimabant autem veteres unicuique homini ſuum adeſſe Genium, ut eſt apud Horatium [a]. Genium hunc ipſum, ut ex eodem Horatio colligitur, placare ſtudebant, hoc eſt auxilium ab eo petere. Senem igitur hunc genu altero humi nixum ruſticum hominem opinari poſſumus eſſe aliquem, qui Genii ſui alicujus beneficii conſequendi cauſa opem expoſcat.

TABULA IX.

FIG. I.

PROMETHEUS.

In Sarda.

PRometheum hunc eſſe Ficoronus exiſtimat, qui argillæ maſſam ſiniſtra manu teneat, & ex qua primum hominem finxerit, dexterâ vero funiculum, quo argillam ipſam in machina quapiam circumligare meditetur, ut inceptum opus commodius, & expeditius perficiat. Cl. Stoſchii mihi magis arridet opinio, qui

a *L. 2. ep. 2.*

qui eo funiculo opus ab ſe faciendum, parteſque ſingulas metiri velle Prometheum interpretatur. Apud eumdem Baronem Stoſchium gemma alia eſt, cujus ectypon vidi, ubi Prometheus funiculo pariter protenſo opus jam abſolutum metitur.

FIG. II.

HERCULES.

In Onyche.

GEmma hæc ſcarabei formam habet. Quamobrem ex una parte convexa eſt. In altera omnino plana unus ex Herculis laboribus expreſſus eſt; cum videlicet in Arcadiæ Sylva Nemea, pharetra, clavaque depoſitis Leonem inuſitatæ magnitudinis ſuffocavit. Effigiem perſimilem in gemmis habent Abrahamus Gorleus, & Eques Paulus Alexander Maffeus; immo hac ipſa imagine ſignatus eſt Publiciæ Familiæ denarius apud Fulvium Urſinum, & Joannem Vaillantium, quæ quidem omnia videre potes apud Montfauconium Tom. 1. pag. 126.

FIG. III.

REGINA BELLATRIX.

In Smaragdo.

MUlierem aperto capite, tenuiſſimo veſtimenti genere indutam, in pereleganti ſella ſedentem vides.

vides. Mulier alia ſtolata, atque palliata ante ipſam ſtans manibus tubas geminas præfert. Suſpicatur Ficoronus ſedentem fœminam bellatricem aliquam Reginam eſſe; Semiramidem puta, aut Zenobiam. Stantem vero mulierem eſſe Famam, quæ res ab illa geſtas vulget, ac prædicet.

F I G. I V.

INFERORUM EVOCATIO.

In Sardonyche.

CUm Rex Tarquinius Priſcus in Monte Tarpejo Jovi ædem ædificare vellet, quam voverat, cumque futuri ædificii fundamenta aperiret caput hominis integra facie, recenti tamen tabo, & ſanguine manans in imo repertum eſt, ut narrat Julius Obſequens [a]. Eventum hujuſmodi in hoc Sardonyche expreſſum eſſe Ficoronus putavit. Multo rectius Cl. Baro Philippus Stoſchius, cui res tota nihil aliud viſa eſt, quam una ex inferorum evocationibus, de quibus Plinius lib. 30. cap. 1. Cum igitur umbræ duæ evocatæ jam ſint, evocatur tertia, cujus caput & collum emergit. A Dipſade Lena illa id factitatum Ovidius eſſe ait [b]:

Evocat antiquis proavos, atavoſque ſepulchris
Et ſolidam longo carmine findit humum [c].

Maxime autem omnium animarum evocator audivit Mercu-

a *De Prodigiis num. 5. ex Livii lib. 7.* b *L. 1. Amor. Eleg. 8.*
c *Vide Lucan. l. 6. Tibull. l. 1. & Horat. l. 1. ſerm. ſat. 8.*

Mercurius: *Animas ille evocat Orco* [a]. Gemmarum duarum, quæ ſunt apud eumdem Stoſchium ectypa ipſe vidi, in quibus Mercurius idipſum facit, & ad ejus pedes mortui reviviſcentis caput apparet.

FIG. V.

LUDENS DISCO.

In Sardonyche.

DIſcus moles erat ſaxea, vel plumbea figura utrimque plana, & rotunda, cujus jactu juvenes certabant inter ſe; victorque cenſebatur, qui eam altius, ac longius projeciſſet [b]. Unum igitur ex his diſcis juvenis luſor dexterâ coxendice fultum tenet, ſiniſtrumque brachium quaſi vires colligens tollit, ut ad illum longius projiciendum ſe comparet. Luſorum hujuſmodi ſtatuæ Romæ in Villa Montaltia, & Tybure in Villa Atheſtinorum Principum conſpiciuntur.

FIG. VI.

SCULPTOR.

In Achate nigro.

SCulptor Junonis, vel Minervæ ſtatuam, vel alicujus mulieris inchoatam ac rudem artis inſtrumentis adhibitis polit, ac perficit.

TA-

a *Virg. l.* 4. *Æn. v.* 242.
b *De Diſco vide Mart. l.* 14. *epig.* 164. *&* *Horat. de Arte v.* 380.

TABULA X.

FIG. I.

SICILIA.

In Jaſpide viridi.

HUmana crura divaricata illa tria Siciliæ Promontoria ſignificant, Pachinum, Lilibeum, atque Pelorum, propter quam triangularem formam Triquetra, atque Trinacria eadem Inſula ab antiquis Scriptoribus appellatur. Crura hæc eadem, eodemque modo divaricata in Denario Familiæ Claudiæ viſuntur apud Fulvium Urſinum. Ex Claudia enim gente prodiit Marcellorum Familia, & ex hac Marcellus ille, qui de Syracuſanis ex Sicilia Procos: in Monte Albano ſecundum, & tertium triumphum egit anno U. C. DXLII. In quibuſdam Siciliæ nummis, inquit Auguſtinus, in medio umbilico, hoc eſt inter illa tria crura fœminea facies apparet, quemadmodum illam in Auguſti, & Agrippæ nummis, & in hoc etiam noſtro Jaſpide expreſſam videmus. Hîc autem ſupra ipſum Siciliæ caput Solem ſtantem aſpicimus cum corona radiata, & flagello in ſiniſtra manu, cujuſmodi eſt in Elagabali nummo apud Antonium Biæum. Dextera manu Lunulam præferre videtur, magnas enim inter Solem, & Lunam intercedere neceſſitudines, ignorat nemo. Quorſum autem ſupra Siciliam Solis potiſſimum effigies inſculpta? Eadem, inquit Cluverius,

Solis

Solis inſula & Cyclopum Homero dicitur [a]. Homerus autem verba Circes Deæ ad Ulyſſem recitans [b] hæc habet:

> Θρινακίην δ' ἐς νῆσον ἀφίξεαι ἔνθα δὲ πολλαὶ
> Βόσκοντ' Ἠελίοιο Βόες, καὶ ἴφια μῆλα.

> *Trinacriam autem ad Inſulam pervenies, ubi multæ*
> *Paſcuntur Solis boves, & pingues oves.*

Hyginus etiam Fabula cxxv. de Ulyſſe, in Inſulam, inquit, Siciliam ad Solis pecus ſacrum venerat. Similiter illam nominat Apollonius Argonaut. l. v.

TABULA XI.

FIG. I.

CHRISTIANORUM CONNUBIUM.

In vitro antiquo.

CHriſtianum connubium illud in antiquo hoc vitro pictum eſt, quod nunc in Kirkeriano Muſeo aſſervatur. Perſimile habet Cl. Senator Philippus Buonarruotus Tab. 4. Fig. 2. *Corona*, inquit ille, *matrimonium ineuntes redimiebantur, ut conjugum concordia ſignificaretur, eo quod coronæ partes colligatæ ſint, & ex diverſi generis floribus conſtent*, ut docet Artemid. l. 1. cap. 19. Quamquam, ut ipſe Buonarruotus ait, *ubi de Chriſtianis ſermo eſt terreſtris corona illa ſempiternæ cœle-*

a *Sicil. Antiqu. l. 1. cap. 2* b *Odyſs. l.* XII.

cœleſtiſque ſymbolum eſſe poteſt. Columella autem illa quadrangula figura haud ſcio utrum pro ara, an vero pro conſtantiæ ſigno habenda ſit. Verba circumadſcripta *Vivatis in Deo* una ſunt ex acclamationibus, quibus Chriſtiani illi veteres bene alter alteri precabantur. Similes affert idem Buonarruotus Tab. xx. Et nos in gemma alia, quam quarto loco ponimus, ſimilem afferemus, vide quæ diximus in primæ Partis Tabula VII. num. 19. & 20.

F I G. I I.

XPICTOY. Gemmæ genus Ficorônus non memorat. *Chriſti*. Credibile eſt veteres Chriſtianos ſanctiſſimum Chriſti nomen in annulorum gemmis inſculptum geſtaſſe, vel etiam aliquando illud ad obſignandas epiſtolas adhibuiſſe. Sed in hiſce argumentis ſupervacaneum eſſe duco me diutius verſari, poſtquam de iis omnibus, quæ ad Chriſtianas antiquitates pertinent, Doctiſſimus Vir P. Thomas Mamachi tam erudite, tam copioſe, atque eleganter diſſeruit.

F I G. I I I.

ЄIPHNH XPѠ. *Irene utere*. De hac formula diximus in primæ Partis Tab. VII. num. 10.

F I G. I V.

✠ IOHANNES VIVAS IN. Nemo non videt ſubaudiendum *Deo*. De hac pariter formula ſatis dictum in primæ Partis Tab. VII. num. 20. Cl. Sponius [a] ſigil-

[a] *Miſcell. erud. antiquit. pag.* 297.

ſigillum ferreum profert, ubi ſine ullo nomine inſculptum eſt *Vivas in Deo*.

F I G. V.

PIVS. Nomen viri proprium utique Chriſtiani, eoque quinque Romanos Pontifices appellatos eſſe conſtat, ex quibus duo in Sanctorum etiam numerum relati ſunt.

F I G. V I.

In Sarda.

IXΘYC Lat. Piſcis. Hujus græci vocabuli litteræ ſigla ſunt a veteribus Chriſtianis uſurpari ſolita. I enim ſignificat Ἰησοῦς *Jeſus*: X Χριστός *Chriſtus*: Θ Θεοῦ *Dei*: Y Υἱὸς *Filius*: C Σωτήρ *Salvator*. De hac re vide Cl. Buonarruoti in vitris antiquis; monumentaque plura afferuntur a Cl. V. P. D. Angelo Coſtadonio Monacho Camaldulenſi, in Diſſertatione ſic inſcripta: *Sopra i peſci col ſimbolo di Gesù Criſto preſſo gli antichi Criſtiani*.

F I G. V I I.

IN DEO. Fig. IV. ſubaudiendum erat DEO, ita ut integra ſententia eſſet *Vivas in Deo*. Hîc habemus IN DEO, & ſubaudiendum eſt *vivas*.

F I G. V I I I.

Navis pars anterior, infra quam Delphinus innatans. Crux illa navi ſuperpoſita nihil aliud eſt, quam ipſius navis malum, cum antenna tranſverſa, unde carbaſa ſuſpenduntur.

FIG. IX.

S. Petri ſedentis effigies in manu Crucem retinens, nimboque caput habens circumdatum, quemadmodum illum in antiquis Romanis, & Ravennatibus Muſivis aſpicimus, de quibus vide Cl. Buonarruoti in Opere celebratiſſimo ſic inſcripto: *Oſſervazioni &c.*

FIG. X.

M SERVILIVS GEM. In Sarda ſignator. Ficoronianis hiſce gemmis litteratam, nitidiſſimamque Sardam hanc addere placuit, quam aureo annulo inſertam menſe Octobri elapſi proximè anni 1756., cum in Tuſculano ruſticaretur, Cl. Abbas Rudolphinus Venuti non minus genere, quam eruditione, & antiquarum rerum ſcientiâ Reipublicæ litterariæ notiſſimus comparavit. Eâ vero nihil ipſe dubitat, quin ad obſignandum uſus olim fuerit Marcus ille Servilius Geminius, qui primum Magiſter equitum Dictatore P. Decio anno DL.: inſequenti deinde anno DLI. una cum Appio Pulchro Conſul. effectus eſt, præſertim cum Marci prænomen nemini hujus familiæ, niſi Servilio huic præpoſitum reperiatur. Qua quidem in re illud etiam maximi ponderis eſſe debet, quod noſtri hujus nominis litteræ ſimiles iis omnino ſint, quas in illius familiæ denariis conſularibus legimus.

MO-

MONUMENTA VETERA
MEMORIA
FRANCISCI FICORONII
REPERTA,
Et quorum ipſe in ſuis Commentariis mentionem facit.

CUM Franciſcus Ficoronius amplius octoginta annos vixerit, vetera monumenta non pauca ejus memoriâ, atque etiam ipſius operâ, & ſumptu, partim in fodiendis repaſtinandiſque agris, partim in fundamentis aperiendis, atque his ipſis antiquitatis reliquiis conquirendis inventa ſunt. Eorum ipſe in ſuis commentariis non raro mentionem facit. Quocirca, ut Viri de hoc litterarum genere præclare meriti iſtam

quoque ſupellectilem in conſpectu proponeremus, operæ pretium eſſe duximus nonnulla hîc ex iiſdem monumentis indicando tantummodo loca, & ſervato, quoad ejus fieri potuit, annorum ordine percenſere. Reperta igitur ſunt, quæ ſequuntur.

Anno circiter 1690. In fundamentis conductitiarum quarumdam domorum juxta Collegium Clementinum ingens ex Africano marmore Columnæ fragmentum, cujus craſſitudo cum craſſitudine illarum, quæ ſunt in Panthei Porticu adæquabatur. In baſi, ſive potius in imo ſcapo inſculptum erat DOMITIANO AVG, addito etiam numero, ut videbatur XII. quo fortaſſe ſignificabatur, quota eſſet ex iis, quæ Imperatoris juſſu ad eam diem advectæ fuerant.

Anno circiter 1693. In fundamentis juxta Theatrum Turris Noniæ plurima ſtatuarum pulcherrimarum fragmenta. Ea ædificatores, tamquam cæmenta ad Turrim ipſam extruendam adhibuerant, ſæculo, quemadmodum quidam opinantur, octavo, ut incolæ ſeſe ab Saracenorum incurſione defenderent; quandoquidem barbari illi homines Beatiſſimi ipſius Petri Templum violare non dubitaverant.

Anno 1696. In Titi Thermis Lucerna ex ære humani capitis figurâ, quam accurate delineandam æreæque laminæ incidendam Ficoronius curavit. Eadem profertur in Michaelis Angeli Cauſæi Muſeo Romano iterum in lucem edito. Plena erat bitumine quodam, quod in ignem projectum ſtatim exarſit. Inerant etiam Asbeſtini fila, quod Linum vivum appellant.

Anno

Anno 1699. In hortis Principum Strozziorum ad Thermas Diocletianas ſtatuæ nonnullæ marmoreæ, quæ nunc in iiſdem hortis viſuntur. Thermarum fortaſſe faciem ornaverant, ſiquidem ex ea parte aditus ad illas patuerat.

Ad annum 1700. In Cœnobii Monialium Spiritus Sancti fundamentis, quæ antiquo Fori Trajani ſolo nihilo inferiora erant, plura columnarum fragmenta ex Thebaico lapide candidis guttis intertincto, quorum aliqua paucis ante annis prope Columnam Trajanam viſebantur. Hæ utique columnæ nihil dubitandum, quin Trajanæ Porticûs fuerint. Quare nunc illarum magnitudinem non fuiſſe tantam compertum eſt, quantam, ut narrat Famianus Nardini, falſo aliqui dictitabant. Ibidem teſſellæ permultæ, atque cruſtæ ex marmore Numidico (*giallo antico*), quibus Porticûs pavimentum ſtratum fuiſſe, non temere ſuſpicamur.

Anno 1701. Inter viam Appiam, antiquumque Lanuvium, ubi Antonini Pii Villæ ad hanc diem ſuperſunt veſtigia, ipſius Antonini Pii, nec non M. Aurelii, Commodi, & Annii Veri Protomæ, & hæ quidem poſtremæ duæ puerili facie. Statuæ inſuper duæ, nimirum Philoſophi, & Fauni; ibidemque Zeno pariter Philoſophus ex marmore ſummo artificio factus rudi ſimplicique pallio amictus, magna corporis parte nudus, dexterâ volumen tenens. Hæc omnia nunc in Muſeo Capitolino ſunt poſita.

Anno 1702. in Clivo Montis Eſquilini, per quem ad Turchinarum Cœnobium aſcenditur, ſtatuæ duæ con-

conjunctæ, Tritonis, & Satyri ab illo rapti, arctiſſimeque conſtricti. Fontis fortaſſe ornamentum, cujus rei conjecturam facimus ex cruſta Satyri ori intus inducta, cujuſmodi illam aqua ſolet continenter defluens efficere.

Anno 1702. primo ab Urbe milliario circa viam Præneſtinam in DD. Caballinorum, nunc Comitum Bonaccurſiorum Pineto Sarcophagum ingens marmoreum, intra quod linteum ex amianto, quo hominis calvaria, atque oſſa ſemiuſta involuta erant. Hæc omnia juſſu Clementis XI. in Bibliotheca Vaticana ſervantur.

Anno 1704. in monte Eſquilino ad hortos Canonicorum Regularium S. Antonii, Homeri Herma; cujus Poetæ caput aliud egregie factum repertum fuerat in muro quodam Urbanæ Villæ Principum Cajetanorum ſecus amplam illam viam, qua a Baſilica Liberiana ad Sacram S. Joannis Lateranenſis Ædem eſt iter. Utrumque nunc in Muſeo Capitolino. In iiſdem, de quibus dixi, hortis, repertus eſt paulo poſt Herma etiam Euripidis una cum Tabula marmorea, in qua ejuſdem Poetæ Tragœdiarum tituli hoc modo inſculpti erant:

ΑΛΚΕΣΤΙΣ	ΒΕΛΛΕΡΟΦΟΝΤΗΣ
ΑΡΧΕΛΑΟΣ	ΒΟΥΣΕΙΡΙΣ
ΑΙΓΕΥΣ	ΔΙΚΤΙΣ
ΑΕΟΛΟΣ	ΔΑΝΑΗ
ΑΛΟΠΗ	ΕΙΦΙΓΕΝΕΙΑ
ΑΝΤΙΓΟΝΗ	ΕΛΕΝΗ
ΑΛΚΜΑΙΩΝ	ΕΙΝΩ
ΑΝΔΡΟΜΕΔΑ	ΕΚΑΒΗ
ΑΛΕΣΣΑΝΔΡΟΣ	ΕΡΕΧΘΕΣ
ΑΥΓΗ	ΕΙΦΥΣΤΕΥΣ
ΑΝΔΡΟΜΑΧΕ	ΕΠΕΟC
ΑΝΤΙΓΟΝΗ	ΕΡΑΚ....
ΑΥΤΟΛΙΚΟΣ	. . . .
ΒΑΚΚΑΙ	. . . .

Eadem Tabula nunc eſt in Muſeo Kirkeriano.

Anno 1704. In vineto prope oppidum Lugnianum ærea lamella, in qua inciſa hæc Inſcriptio;

GN. FLACCVS Q. FVL F. DE
CVMAM PARTEM HERCVLI
ET PRO REDITV FELICISSI
MO EX AFRICA VIBI FRA
TRIS ET PRO SAL PETINAE
MATRIS SIGNA AVREA
FORTVNAE PRAEN. ET FE
RONIAE SANCTISSIMAE
DD. T. VINIO COS.

Titus iſte Vinnius Conſul fuiſſe legitur una cum Sergio Galba anno U. C. 822.

Anno

Anno 1705. in viridario PP. Congreg. Miſſionis ad Curiam Innocentianam Columna ex Thebaico marmore rubeſcentibus guttis diſtincto (*granito roſſo*). Altitudo illius pedum quinquaginta, imi ſcapi craſſitudo pedum ſex. Ibidem ejus ſtylobata habens usquequaque latitudinis pedes duodecim, altitudinis undecim. In uno ex ejus lateribus litteris uncialibus ex ære inaurato hæc Inſcriptio:

DIVO . ANTONINO . AVGVSTO . PIO
ANTONINVS . AVGVSTVS . ET
VERVS . AVGVSTVS . FILII

In adverſo Antonini Apotheoſis eſt inſculpta. In reliquis duobus funebris equitum peditumque decurſio. Columna jacet retro in ædibus ejuſdem Curiæ Innocentianæ. Stylobates erectus eſt in ejus foro.

Anno 1706. in fundamentis Seminarii Romani Crater ingens ex Thebaico lapide rubeſcentibus maculis (*granito roſſo*) ad aquam excipiendam, ſed plane diſruptus, atque confractus. Quare illum ſub terram relinquere neceſſe fuit. Melius actum eſt cum alio amplo Cratere illo ex porphyrite, qui olim erat in Villa Julii III. extra Portam Flaminiam, eique Pontifici, teſte Vaſario, dono datus ab Aſcanio Columna fuerat. Craterem enim hunc Clemens XI. juſſit refici, & in Vaticanarum Pontificiarum ædium cavædio, quod Belvederii dicitur, collocari.

Anno

Anno 1710. quinto ab Peruſina Urbe milliario ad oppidum Maldoletum in veteri ædificio diruto denarii Conſulares non pauci, atque ibidem nummi ærei Romanorum Imperatorum uſque ad Alexandrum Severum: fictilia item vaſa formâ variâ, ſummoque artificio perfecta; aliquot etiam Idola ferrea, manibus tamen æreis, rudia, atque impolita; alia omnino ex ære, ſed oculis ex argento, eademque elegantiora, una cum aliis antiquitatis reliquiis.

Anno 1714. in Veroſpiorum Villa ad hortos Saluſtianos juxta viam Salariam ſtatuæ duæ Ægyptiæ non vulgaris magnitudinis; altera ex marmore nigro duriſſimo maculis flavis variato, capite turrito, ſiniſtrâ manu palmæ ramum, dextera volumen tenens; in tergo arcanis Ægyptiorum notis inſculptis, quas olim interpretatus eſt in pagina ſic inſcripta P. Melchior Briga e Soc. Jeſu, *Faſcia Iſiaca Statuæ Capitolinæ*: altera ex lapide Thebaico grandiuſculis rubeſcentibus maculis intertincto Lothi florem habens in capite. Nunc ſunt in Muſeo Capitolino. Ibidem, eodemque anno, & ex eodem fere marmore ſimulacra alia duo, quæ nunc ſunt in Porticu cavædii DD. Conſervatorum.

Anno 1718. in Tiberi M. Aurelii Philoſophi Imperatoris Protome eximiæ pulchritudinis, naſo tamen nonnihil attrito. In exiguis barbæ capillorumque intervallis inerant fluviatiles lapilli ita inhærentes, ut nonniſi adhibito ſcalpro illos educere quiſquam poſſet.

Anno 1719. in hortis proximis Ædi SS. Priſcæ, & Priſcillæ, quæ eſt in monte Aventino Tabula ex

P mar-

marmore Ægyptiaco Ægyptiacis inſculpta hieroglyphicis lata pedem circiter unum, totidem longa, quam delineatam ærique inciſam exhibet Ficoronus [a].

Anno 1719. in fundamentis Bibliothecæ Caſanatenſis Ara, in cujus uno latere Anubis, in alio Harpocrates, in alio Inſtrumenta Sacrificalia, in alio Cæſtus ſerpente implicatus. De hoc monumento eruditiſſime ſcripſit D. Abbas Joannes Oliva Rhodiginus.

Anno 1720. in monte Palatino ſub hortis Farneſiis Hercules ex Baſalte ſummo artificio, ſummaque nobilitate. Aula item perampla, cujus parietes cruſtati ſecto candicante marmore violaceis maculis variato (*paonazzetto*). Pavimentum quoque vario marmoris genere ſtratum. Columnæ denique duæ ex marmore Numidico (*giallo antico*), quæ tribus aureorum Venetorum millibus venierunt.

Anno 1720. in via Appia trans templum *Domine quo vadis?* antiquum pavimentum, ubi opere teſſellato figurati aurigatores Circenſes; eorum uni adſcriptum SEVERVS. Deportatum fuit in Germaniam.

Clemente XI. Pontifice in Caracallæ circo extra Portam Capenam Antonini ipſius Caracallæ, Juliæque Matris ſtatuæ, quas Marchio de Abrantes Luſitaniæ Regis ad Apoſtolicam Sedem Legatus coëmit.

Eodem Pontifice, cum in Æde S. Sebaſtiani extra Portam Capenam Sacellum Principum Albanorum Sancto Fabiano Papæ dicatum extrueretur, marmor, in quo ſcalpta eminens Chriſti Domini effigies ſatis elegan-

gan-

a *Veſtigj di Roma Antica l. 1. cap. 12.*

ganter a priſcis Chriſtianis elaborata, quæ in ejuſdem Templi Porticûs pariete inſerta nunc viſitur.

Eodem Pontifice ad ripam citeriorem Tiberis ſub Colle Aventino in hortis Ducis Sfortiæ columna ſolida, atque pulcherrima ex Alabaſtrite cotonei coloris, altitudine pedum circiter quinque, diametro fere ſemipedali. Nunc in Muſeo Capitolino. Alia item columna ex Alabaſtrite onychino ſtriata, quam Eminentiſſimus Cardinalis Alexander Albanus nunc poſſidet. Duorum inſuper Craterum ad aquam ſalientem excipiendam fragmenta, ex Alabaſtrite, in quorum altero roſa, in altero amnis expreſſus. Integer denique Crater alius ipſe pariter ex Alabaſtrite, in cujus medio Meduſæ caput. Hæc omnia Emus Cardinalis Albanus coemit. Locus ille fuiſſe creditur, in quem peregrina marmora olim e navibus exponerentur, & ob idipſum fortaſſe *la marmorata* nunc dicitur.

Eodem in loco Baſis, in cujus lateribus inſculpti Pileus Phrygius, Tibiæ duæ conjunctæ, Pedum cum Crotalis, In facie vero Navis, ſupra quam Cybele velato capite ſedens. Navim ipſam illigato proræ fune Matrona & ipſa capite velato, & ſtolata e ripa trahere conans. In inferiori parte inciſum

MATRI DEVM ET NAVI SALVIAE
SALVIAE VOTO SVSCEPTO
CLAVDIA SYNTHYCHE
D D

Matrona illa Claudia eſt, de qua Cicero in Orat. de Haruſp. reſponſis, & Tit. Liv. Dec. 3. l. 9., quæ una cum aliis matronis, & Scipione Naſica Oſtiam ad Tiberis ripam ſe contulit, ut Matrem Idæam ab Attalo Pergami Rege ad Romanos miſſam, & uſque a Peſſinunte Romam tranſvectam exciperet. *Claudia hæc, cum dubiæ antea eſſet famæ, experimento religionis*, inquit Plinius, *pudiciſſima judicata eſt. Navem enim cum Sacris Matris Deum obhærentem vado Tiberino extraxit, precata palam, ut ſi ſibi pudicitia conſtaret, ſequeretur.* Hoc ipſum eventum Ovid. l. 4. Faſt. commemorat Claudiam ita precantem inducens:

Supplicis, alma tuæ Genitrix fœcunda Deorum,
Accipe ſub certa conditione preces.
Caſta negor: ſi tu damnas, meruiſſe fatebor;
Morte luam pœnas judice victa Deâ.
Sed ſi crimen abeſt; tu noſtræ pignora vitæ
Re dabis, & caſtas caſta ſequere manus.
Dixit; & exiguo funem conamine traxit
(Mira ſed in ſcena teſtificata loquor)
Mota Dea eſt; ſequiturque ducem, laudatque ſequendo
Index lætitiæ fertur ad aſtra ſonus.

Baſis hæc in Bibliotheca Vaticana ad viſendum patet, eamdemque Ficoronius egregie delineandam, ærique incidendam curavit.

Eodem Clemente XI. Pontifice: In DD. Columnenſium Veliternorum prædio ad viam Tiburtinam trans ædem S. Laurentii Cella ſepulchralis, in eaque vas perelegans ex Porphyrite. Intra illud oſſa humana quædam, unâque annulus ex auro factus pondo circiter

qua-

quatuor argenteorum denariorum. Annuli gemma erat Sarda, in qua Chimeræ effigies inciſa. Cellam hanc Pallantis Liberti, qui Claudio Imperatori fuit in primis charus, ſepulchrum fuiſſe Eques Paulus Alexander Maffejus contendit (*Aggiunta alle Gemme dell' Agoſtini*). Cæterum Vas torno ita excavatum, atque attenuatum eſt, ut minimi ſit ponderis; illudque Emus Alexander Card. Albanus nunc domi habet.

Eodem Pontifice non longe a Porta Capena prope viam Appiam Ficoronii cura, atque ſumptibus duæ, & nonaginta Cellæ ſepulchrales inventæ. Earum pavimenta plerumque vario marmorum genere ſtrata, vermiculatiſque emblematis, ſive muſivis, ut ajunt, operibus exornata.

In una ex hujuſmodi Cellis Vas ex Porphyrite, intra quod cum ſemiuſtis humanis oſſibus funiculus ex auro textili, unde lamella aurea dependebat; in qua mulierum quatuor effigies inciſæ, trium fortaſſe Gratiarum, & Veneris.

In alia Currus pictus in pariete, cui quatuor nigri juncti equi; ſupra illum Apollo ſtans radiato capite tunica pallioque talaribus violacei coloris indutus, equos ipſos habenis frænans. Ibidemque in Tabulis marmoreis Inſcriptiones, quæ ſequuntur:

I.

D M S
CALLISTO FILIO
PARENTES

In

In adverſa ejuſdem Tabulæ facie:

QVISQVIS EI LAESIT
AVT NOCVIT SEVERAE
INMERENTI DOMINE
SOL TIBI COMMENDO
TV VINDICES EIVS MORTEM

Utrimque in parte ſuperiore inſculptæ (forma infra ſuperficiem depreſſa) manus duæ in cœlum protenſæ.

II.
D M.
TIMOTHEAE
M. VLPIVS
NICANOR
VERNAE
SVAE F.
SOL TIBI COMMENDO
QVI MANVS INTVLIT EI

Anno 1721. prope Villam S. Paſtoris PP. Ord. Prædicatorum vetuſtum quoddam Sepulchrum, in quod per paucos gradus erat deſcenſus. In ipſis hiſce gradibus aliquot fictilia capita, lucernæque itidem fictiles. Inde aditus ad concameratam ædiculam. In ea Arca marmorea longitudine pedum quatuor, & dimidii:

dii: altitudine paullo minor. Remoto operculo aquæ limpidiſſimæ intra eam copia tanta reperta eſt, quantam cadi noſtrates plures caperent; inſpectaque loci ſiccitate non facile intelligi potuit undenam in illam potuiſſet influere. In Arcæ fundo oſſa aliquot cum filis ex auro textili, reliquiæ fortaſſe alicujus panni holoſerici, quo oſſa illa contecta fuerant.

Anno 1722. ad Templum S. Sixti veteris prope Thermas Antonianas Tabula illa marmorea, celeberrima duorum Geminorum Conſulatum continens, quibus Conſulibus Sanctiſſimus humani generis Liberator mortem obiiſſe creditur. Ea vero eſt hujuſmodi:

XI. K. OCT.
Q. TEDIVS ·ƆL. GERMVLLVS
XVI. K. NOV.
OPPIA. M. F. PARIET. IIII. COL. II.
Q. IVNIO. BLAESO. L. ANTISTIO. VET.
X. K. IAN.
SEX. CAMPATIVS. SEX. L. EVTACTVS
PARIETE. II. COL. I.
C. FVFIO. GEMINO. COS.
L. RVBELLIO. GEMINO.
IIII. IDVS. MAI. OSSA. INLATA.
LVRIAE. P. L. APRILIS.
PARIETE. II. COL. III.

Nunc eſt in Muſeo Capitolino.

Anno

Anno 1722. in hortis, qui ſunt e regione Templi S. Sabinæ in Monte Aventino, Dianæ Epheſinæ ſimulacrum ex alabaſtrite maxime translucido, quod Ficoronus in veſtigiorum antiquæ Romæ libro primo cap. 12. delineatum inſeruit.

Anno 1723. inter Antii veteris rudera Tabulæ marmoreæ fragmentum, in cujus parte ſuperiore nomina, & munia Cæſarianorum Servorum inſculpta Imperatore Claudio, in inferiore vero ſex poſteriorum anni menſium Kalendarium opera, & ſumptibus Emi Cardinalis Alexandri Albani repertum. Nunc in Muſeo Capitolino. Eodem anno ad Albani lacûs crepidinem Nymphæum, cum Statuarum loculamentis ſtructura plane ſingulari.

Anno 1725. & 1726. extra Portam Capenam, non procul ab exigua illa ſacra Æde *Domine quo vadis?* Libertorum Liviæ Mauſoleum, de quo Illmus Præſul Blanchini, & Cl. Antonius Franciſcus Gorius erudite ſcripſerunt. Ex Inſcriptionibus in eo Mauſoleo repertis centum octoginta ſeptem in Muſeo Capitolino ad viſendum patent.

Anno 1726. in cœmeterio ad Clivum Cucumeris Lapis Chriſtianus, in quo, ſcalpro ductis lineis, iiſdemque, ut ajunt, rubricatis, Chriſti Domini effigies inſculpta Paſtoris habitu oviculam ſuper humero geſtantis, necnon Fideles agnorum imagine ſigurati; Phoenix inſuper arbore inſidens futuræ novæ, ſempiternæque vitæ ſymbolum, adjectæque rudibus characteribus preces hæ:

KALE-

KALEMERE DEVS REFRI
GERET SPIRITVM TVVM
VNA CVM (Spiritu) SORORIS TVAE HILARAE

Nunc in Muſeo Kirkeriano. Vide P. Lupi in Epitaphio S. Severæ.

Anno 1726. non procul a Porta Capena, juxtaque viam Appiam Lateres grandiuſculi inter ſe conjuncti, ſub quibus pauperiorum cadavera, quorum intra os oboli abſconditi. Ibidem picta in pariete Architecti effigies una cum Architectonicis inſtrumentis. Eam avellendam accurateque delineandam, æriqueincidendam Marchio Alexander Gregorius Capponius curavit. Nunc eſt in Muſeo Kirkeriano.

Anno 1726. in ſubterraneis Cellis extra eamdem Portam Capenam ſecus viam Appiam hæc Inſcriptio:

L SENTI LL
COCCETI
V. A. I. M. VI
NOLITE DOLERE PARENTES
HOC FACIVNDVM FVIT.

Benedicto XIII. Pontifice in Antii Portu e maris fundo extractum vas egregie factum, & ſtriatum ex ære ſatis amplum, atque altum. Ex inciſis circa

labrum græcis characteribus apparet, a Mithridate Eupatore poſtremo Ponti Rege Gymnaſiarcharum Eupatorum Collegio dono fuiſſe datum, quodque veriſimile eſt a Pompejo Magno deportatum, ut illud in triumpho duceret, ſed caſu neſcio quo fuiſſe in aquas prolapſum.

Anno 1730. ad Cœlioli Montis radices juxta Urbis mœnia plura veterum Columnarum fragmenta, ſubterque terram duos circiter pedes cum dimidio Inſcriptio hæc, ex qua Urbis Pomærium regnante Claudio prolatum fuiſſe liquet.

T. CLAVDIVS
DRVSI F. CAESAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT.
VIIII. IMP. XVI. COS. III.
CENSOR. PP.
AVCTIS POPVLI ROMANI
FINIBVS POMERIVM
AMPLIAℲIT TERMINAℲITQ

In latere lapidis Tiburtini, in quo erat inſculpta legitur XV. numerus fortaſſe indicans, quota eſſet ex iis, quæ omnino ſimiles in pluribus murorum partibus affixæ fuiſſent. Nam iiſdem verbis alia apud Marlianum, & Gruterum legitur. Lapis idem nunc in Muſeo Kirkeriano.

Anno

Anno 1730. non procul ab Aricia in Spineto ædiculæ ſepulchrales, ibidemque epiſtyliorum, columnarum, marmorumque ſculptorum fragmenta. Vaſa item duo ex alabaſtrite magni pretii. Ea nunc domi habet Emus Alexander Cardinalis Albanus.

Anno 1730. in hortis Principum Juſtinianorum ad Ædem S. Jo. in Laterano grandiores antiquæ viæ Tuſculanæ Silices, ut opinati ſunt aliqui, ſubter hodiernum ſolum latentes pedes circiter quinque, aliique non diſſimiles antiquæ Nomentanæ viæ in hortis Principum Stroziorum ad Thermas Diocletianas, quemadmodum hac noſtra ætate in hortis, vinetoque Monialium SS. Dominici, & Sixti ejuſdemmodi antiqui Latinæ viæ Silices defoſſa terra ad altitudinem pedum duodecim apparuerant.

Anno 1731. duobus a via Claudia milliaribus trans Pontem Milvium in cujuſdam montis planitie cubiculum, cujus parietes dealbati. In medio vas ex alabaſtrite, marmoreaque arca ſupra baſim e lapide Tiburtino. Inter cineres in ea conditos duo exigui annuli aurei, quorum unicuique ſuus illigatus erat ſmaragdus. Ab læva in baſi altera Arca alia major, cujus operculum ex marmore Pario. Supra eam vaſa fictilia rubei coloris numero viginti quatuor. In medio operculo ærea quædam lamina batilli forma, & ſuper ea carbones nonnulli. Humi autem puerulorum duorum oſſa, quorum pretioſa, ac ſplendida veſtimenta primo attactu ſtatim evanuerunt. Intra arcam ipſam muliebre cadaver brachio carens. Hujus etiam tum pulvinus, tum veſtimenta pretioſa in pulverem exte-

nuata ſunt. Reticulum unice manſit ex textili auro, quod faſciola ejuſdem extremæ oræ inſerta conſtringi poterat, intraque illud breves capilli, atque ſubruſi erant incluſi. Auri pondo unciæ ſeptem. Monumentum hoc una cum vaſculis nonnullis ab Emo Cardinali Hannibale Albano dono datum fuit D. Comiti de Wackerbat Regii Poloniæ Principis educatori. Juxta locum brachii, quo cadaver carebat, inventus eſt exiguus annulus aureus, & ad ejus pedes artefactorum ex ſuccino fragmenta quædam admodum pulchre elaborata. Exigua inſuper, rotundaque pixis, intra quam pueri, & mulieris effigies.

Anno 1732. ſecus viam Appiam ſecundo ab Urbe lapide operculum diffractum Sarcophagi marmorei, in cujus extremis, & in medio eminentes larvæ ſcenicæ. In uno autem ex lateribus Inſcriptio partim Judæis, partim Græcis characteribus, ſed non admodum recte formatis. Eſt in Muſeo Kirkeriano, & de eo vide P. Lupi in epitaphio S. Severæ. Litteræ autem hujuſmodi ſententiam hanc conficiebant:

Hic jacet Fauſtina

Pax.

In eodem lapide Candelabrum ἑπτάλυχνον palma, & cornu olei.

Anno 1732. in Cœmeterio S. Thraſonis, & Saturnini ad viam Salariam Crater potorius chryſtallinus cum litteris extantibus ex eadem chryſtallo

ΠΙЄ ΖΗϹΑΙϹ ЄΝ ΑΓΑΘΟΙϹ

De hoc pariter P. Lupi in epitaphio S. Severæ.

Anno

Anno 1732. inter Minervæ Medicæ Templum decagonum, & hodierna Aureliani Urbis mœnia, in hortiſque quibuſdam non procul ab Sacra S. Bibianæ Æde, egeſtâ terrâ, præalta ſepulchralis ædicula; intra ipſam vero inædificata epitaphia, quorum unum erat hoc;

D. M. SVCCESSI PRIMIGENIA SOR.
FECIT. FRATRI BENEMERENTI
ET PIISSIMO ΠER. VII. ANNIS
EGO
LAMEATALE PEREGI NVNC
RAP
IOR. TENEBRIS ET TEGIT
OSSA LAP.
DESINE SOROR ME IAM FLERE
SEPVLCRO HOC ETENIM
MVLTIS
REGIBVS ORA TVLIT

Anno 1732. ſecus viam Appiam ad S. Cæſarii Ædem urnulæ, ſeu vaſcula plura fictilia, in quibus cultro, vel graphio characteribus in extima ſuperficie notatum viri, vel fœminæ nomen ibidem ſepultorum, cui plerumque menſis, ac dies adſcriptus. Nunc ſunt partim in Muſeo Cl. Equitis Franciſci Vettori, partim in Kirkeriano. Vide P. Lupi in epitaphio S. Severæ pag. 86., ubi & eorum diagrammata.

Anno

Anno 1732. prope viam Appiam non procul à Porta Capena extra Urbis mœnia in quodam vineto ædicula ſepulchralis, ubi Columbaria, atque ollæ plures. Inſcriptiones vero, quæ ſequuntur:

I.
GENIO
PLEBEI.

II.
C. ANTISTIVS
PHILOSITVS
VIX. ANN. CIII.

Nunc in Muſeo Capitolino.

III.
P. CORNELIVS CELADVS
LIBRARIVS AB EXTRA PORTA
TRIGEMINA VIX. AN. XXVI.

Anno 1734. in Sacelli Corſini ad S. Joannis Lateranenſis Ædem fundamentis plures veterum Romanorum Protomæ ſummo artificio perfectæ, ſed plerumque diffractæ. In earum una Mironis Statuarii nomen. Ibidem Inſcriptiones nonnullæ, quas Cl. Abbas Rudolphinus Venuti in lucem edidit. Ibidem Sella marmorea, in qua ſigna, & figuræ eminentes inſculptæ. De ea pereruditam Diſſertationem Cl. Antonius Franciſcus

ciſcus Gorius conſcripſit. Eæ, quas dixi Protomæ una cum ſella in ædibus Principum Corſinorum ſunt poſitæ.

Eodem anno 1734. in Villæ Corſinæ ad Antium fundamentis ſimulacra duo marmorea; alterum Minervæ, Herois alterum, quem eſſe Regem aliquem eruditi quidam interpretati ſunt. Nunc in eorumdem Principum Corſinorum ædibus ſunt erecta.

Sub idem fere tempus extra Portam Cœlimontanam Sarcophagum Chriſtianorum, in cujus lateribus Sol, & Luna erant inſculpti. In operculo vero Ludi Circenſes: Nunc in eorumdem Principum Corſinorum ſuburbano extra Portam Aureliam.

Anno 1735. prope Signiam Volſcorum Urbem Annulus cum gemma eidem illigata, in eaque hominis non uſitato more ſaltantis effigies inciſa.

Anno 1735. juxta Cœnobium Monachorum Sancti Stephani ſupra Cacum in fundamentis conductitiarum domorum Inſcriptio Trajani, quæ Urbis Pomerium ab eo Imperatore auctum fuiſſe ſignificabat.

Anno 1735. in villa Tiburtina Hadriana, monſtra marina quædam ex marmore, in quorum dorſo venuſti luſitantes pueruli. Anaglyphon item ex marmore Antinoum exprimens floribus redimitum. Nunc omnia hæc apud Emum Cardinalem Alexandrum Albanum. In eodem Tiburtino Comes Fede ſtatuas Amoris, & Pſyches egregias invenit, ibidemque immanes columnæ marmoreæ repertæ ſunt.

Anno 1736. non longe a Porta Labicana, nunc Majori, Mauſoleum Libertorum, & Familiæ L. Aruntii, qui Conſulatum Tiberio Imperatore geſſit. In limine

mine ipſo, quod erat ex Tiburtino lapide, titulus. Mauſolei parietes ex calce, & gypſo figuris cruſtati. Pavimentum teſſellato opere ſtratum. Circumcirca oſſuariæ ollæ; & in marmoreis Tabulis epitaphia non pauca. Etiam in Urbana Marchionis Narii villa paucos ante annos Columbaria plura, cum hujuſmodi ollis, inſcriptiſque lapidibus.

Anno 1736. ad Oppidum Corneti multæ ſubterraneæ cellæ, in quarum parietibus pictura tam nitida, ut recens eſſe videretur, quæ tamen ob aeris ingreſſum quamcitiſſime evanuit. Circa unius ex hiſce cellis parietes Hetruſcæ litteræ cubitales.

Anno 1736. in Hadriani Tiburtina villa cura, & ſumptu Illmi Præſulis Alexandri Furietti Centaurorum ſimulacra duo ex nigro marmore omnino præclare facta, ejuſdemque omnino magnitudinis. In eorum baſibus artificum duorum nomina: ΑΡΙCΤΕΑC ΚΑΙ ΠΑΠΙΑC ΑΦΡΟΔΕΙCΕΙC: *Ariſteas, & Papias Aphrodiſii.*

Anno 1736. ibidem, ejuſdemque Illmi Domini induſtria Faunus ridens ex antiquo rubro marmore; dextera racemum attollens, ſiniſtra pedum tenens humero Nebride indutus. A læva Caper ad vimineam ciſtam adrepens; a dextera vitis truncus, unde fiſtula pendens. Opus enimvero præclariſſime factum, neque facile eſt ex illo marmore ſimulacrum aliud tantæ magnitudinis reperire. Nunc in Muſeo Capitolino.

Anno 1737. ibidem, eodemque curante Opus teſſellis minimis conſtans Crateri, ſive labro aqua pleno inſidentes columbas quatuor exhibens: quod opus

Pli-

Plinius l. 36. cap. 15. cujuſmodi nunc eſt, his verbis deſcribit: *Mirabilis ibi columba bibens, & aquam umbra capitis infuſcans. Apricantur aliæ ſcabentes ſe ſe in Canthari labro.* Vermiculata etiam emblemata alia, ſive muſiva, ex quibus Abaci elegantiſſimi facti, & quorum aliqui in Muſeo Capitolino, alii in ipſius Furietti ædibus ad viſendum patent. Cum Centauros, tum admirabiles columbas illas Præſul idem in omni litterarum genere præſtantiſſimus accurate delineandas, ærique incidendas curavit.

Anno 1737. in fundamentis ædium Emi Saverii Cardinalis Gentili e regione Templi S. Nicolai in Arcione Trunci quidam juvenilium ſtatuarum, nec non ſtatua plane nigra barbata, atque uſquequaque piloſa, cujus deſcriptionem Ficoronius in lucem edidit anno 1739.

Anno 1737. in fundamentis Templi S. Apollinaris fiſtula plumbea ad aquam deducendam, in eaque litteris extantibus inſcriptum:

IMP. ANTONINI AVG PII STATIONIS
PATRIMONII SVB CVRA DIOSCORI

Nunc in Muſeo Kirkeriano.

Ibidem, & eodem anno rudis, & impolita columna ceraſi colore (*Porta ſanta*), in eaque hæ litteræ inſculptæ: COMMODO CAES N II COS. Alia item columna ex alabaſtrite craſſitudine ſemipedali, altitudine pedum trium.

Anno 1737. Anaglyphum ex marmore effigiem Demoſthenis exprimens; locus non indicatur, ſed eam

domi habebat D. Franciſcus Palatius Antiquarum rerum homo peritiſſimus.

Anno 1738. in DD. Burgheſiorum Principum prædio Sarcophagum, in quo Actæonis venatio, & interitus una cum encarpis eleganter inſculpti. Fuit in villam Pincianam translatum.

Anno 1738. in DD. Michillorum Tiburtino ad villam Hadrianam ſtatuæ aliquot, inter quas una Antinoi in Deum Harpocratem transformati.

Clemente XII. Pontifice in DD. Perucchiorum ſuburbano extra Portam Pincianam cellæ plures ſepulchrales cum Columbariis, ollis, atque urnis, vaſiſque & inſcriptionibus, quarum decem & ducentas Ficoronius coëmit, ex quibus hanc P. Contuccio Contuccio Muſei Kirkeriani Præfecto dono dedit:

STATE MATRI
AVG. SACRVM
MAG. REG. VII.
VICO MINERVI
ANNI L.
AP. ARRENIVS APPIANVS
C. CORNELIVS EVTYCVS
SEX. PLOTIVS QVARTIO
C. VIBIVS PHILET.
DEDICATA EST
XVII. K. SEP.
LVSTRATIONE

Eo-

Eodem Pontifice in via Latina marmor, in quo fœminæ morientis effigies, ad cujus pedes Tibicines duo, alter tibia canens, alter buccina longiori. Infra verbum hoc: MORITVR. Nunc in Muſeo Kirkeriano.

Eodem Pontifice (loci Ficoronius non meminit) Gladiatores duo ex tephria, ſive ex marmore cinerei coloris, cum quibuſdam plumbeis maſſis (quas alteres vocant) cumque chirothecis palmæ trunco ſuſpenſis. Quandoquidem ſimulacra hæc diffracta erant, unum dumtaxat refici potuit a Carolo Neapolione, quod Regio Poloniæ Principi donatum fuit.

Eodem Pontifice in Exquiliis, qua itur a S. Juliani Cœnobio ad Ædem S. Crucis in Jeruſalem in hortis quibuſdam antiqui Nymphei reliquiæ, cum geminis hiſce Inſcriptionibus:

I.
I. O. D.
PRO SALVTE
IMP. L. SEPTIMI SEVERI PII PERTINACIS AVG.
PII FELICIS ET EXERCITVM
ET P. R. D. IVNIVS PACATVS CVM
ALEXANDRO FIL. SACRARVM
IVSSV. I. D. SVA PEC. ADAMPLIAVIT C. CAECILIO
RVFO. T. SACERDOTIB. SOPRATVS ET MARIN ET CALVS

I. O. D. fortaſſe *Jovi Optimo Dolychenio*, *Defenſori*, *Deuſionenſi*.

II.
ITEM AVXIT
ALVO IMP. L. ESER SEVERO PERT. PIO. AVG. N.
M. CAECILIO. M. F. IVLIVS RVFVS CONCOR.
LEG. III. CYRENAICAE EX CORNICVLARIO
AEL. LVCIAN. PR. VIG. TETRASTILVM NYMPHAIVM
CRATERAM CVM COLVMELLA ET ALTARIVM CVM COLVMELLA
MARMOREA ET ALIAM COLVMELLAM ITEM ORBICVLVM CVM
COLVMELLA ET CETERA ORNAVIT. I. D. D. DEDICVIT
PER CLODIVM CATVLL. PR. VIG ADSISTENTE ORBIO LAETIANO SVB PR. ET
CASTRICIO. HONORATO. TRIB COH. II. VIG PR. CAL. AVG.
APRONIANO. ET BRADVA. COS. HERCVLANIO LIBERALE VA

Conſulatus hic fuit anno U.C. 944. a Chriſto nato 191.

Anno 1740. ad Ariciam cellæ tres, quarum pavimenta ex alabaſtrite, jaſpide, aliiſque id genus lapidibus ſtrata, minutiſque vermiculatis emblematis exornata.

Anno 1740. in Tuſculano Bacchæ duæ e marmore, altera cantharum, altera thyrſum præferens. Eas a peritiſſimo artifice inſtauratas, Dux S. Aniani Regis Galliarum ad Apoſtolicam Sedem Legatus in Galliam tranſportandas curavit.

Anno 1740. in Ducum Cæſarinorum Cynthiano Theſei ſtatua marmorea cum Minotauro decertantis nulla ex parte conſumpta. Nunc apud Emum Cardinalem Alexandrum Albanum.

Anno 1741. in ampla illa via, quæ a Baſilica Lateranenſi patet ad Templum S. Crucis in Jeruſalem Puer marmoreus cygni collum arripiens ala expanſa evadere conantis. Nunc in Muſeo Capitolino. Ibidem

Cara-

Caracallæ caput, aliaque duo ignotorum hominum, quorum unum quidam putarunt eſſe Carneadis, utpote ſimile alterius, quod in Muſeo Capitolino eſt collocatum. Ibidem, per idemque tempus Columna marmorea mixti coloris ex nigro, atque candido.

Anno 1741. in ſuburbanis vinetis Capra ex marmore ſumma arte facta, in eaque puerulus equitans, & illam cornu comprehenſam frænans. Eidem puerulo a dextro humero ad ſiniſtrum latus ſertum longiuſculum ex floribus contextum demittitur. Nunc in Theatro Emi Cardinalis Alexandri Albani ad viam Salariam.

Anno 1741. in Tuſculano Marchionum Sacchettiorum, nunc Collegii Romani, magna antiquæ villæ rudera, atque veſtigia Impluvium periſtylio circumdatum, Columellæ, Baſes, Hyppocauſta, ſigillati, & inſcripti lateres. Horologium. Statuæ muliebris truncus; Pavimenta inſuper opere teſſellato, ſive muſivo, in quorum uno Palladis effigies cum Galea, Haſta, Clypeo, atque Ægide. Circa effigiem ipſam Faſciæ rotundæ formæ tres, quarum in una Sol, Stellæ, Lunæque phaſes. Permanet hoc poſtremum nunc in eodem loco, ubi primum detectum eſt, ſed intra cellam, quæ ad illud cuſtodiendum poſtmodum extructa fuit. In alio cubiculo Larvæ ſcenicæ, atque victoriæ, quæ omnes, quemadmodum & horologium, cura, & induſtria P. Contuccii in Muſeum Kirkerianum translatæ ſunt.

Anno 1742. in villa Tiburtina Hadriana Statua virilis ex marmore, rejecto in humerum pallio, ſiniſtro

pede

pede ſaxo inſiſtens, ſiniſtroque genu brachium ſuperimponens, dexteramque ita attollens, ut aliquos docere videatur velle. Alii Antinoi ſimulacrum eſſe opinati ſunt, alii unius ex Præceptoribus, qui Gymnaſticam artem edocerent. Nunc in Muſeo Capitolino.

Anno 1742. trans PP. Chartuſianorum cœnobium ad Thermas Diocletianas in vineto PP. Societatis Jeſu fiſtula plumbea admodum longa ad aquam deducendam, in eaque litteris ex plumbo ipſo eminentibus ſæpius, & identidem hæc inſcripta: IMP CAES. M. OPELLI SEVERI MACRINI. AVG. M. OPELLI SEVERI DIADVMENIANI. CAES PRIN IV CASTRIS. PRAETORI TEREMTIVS CASSANDER FECIT. Quæ quidem, Caſtrum Prætorium in eo loco fuiſſe magis magiſque confirmant. Fiſtulæ hujus partes nunc ſunt in Muſeo Kirkeriano.

Anno 1742. in hortis PP. Minimorum Pincianis Inſcriptio Probi Petronii ex Familia Anicia. In ea Conſulatus Valentis, & Valentiniani indicatus. Eadem nunc in Muſeo Capitolino.

Anno circiter 1743. inter Oppidum Lugnianum, & Præneſte Vas ex lamina ærea inauratum cylindri forma: ejus altitudo ſemipedalis, ambitus ſeu rotunditas pedis unius, pauloque amplius. Pars ſuperna, ſive operculum aliquantulum convexa. Vas ipſum fultum tribus aquilinis pedibus ſingulis bufonis tergum conculcantibus. In operculo, de quo dictum eſt, ſtantia ex ære pariter ſolido ſimulacra tria. Medium Juvenis ſeminudi, calceati tamen, & cujus ex humero pellis ſtellis diſtincta, ex collo bulla aurea dependent. Simulacra alia duo Faunorum Etruſcorum, & equinis pedi-

pedibus, ſupra quorum collum brachia juvenis protendit. Fauno utrique ad collum connexa equina pellis. Alter ex his ſitulæ luſtralis manubrium; alter cornu, ut Ficoronius opinatus eſt, potorium manu præferens. In inferiori, qua inſiſtebant faſciola, interpuncta hæc verba litteris more antiquiſſimo ruditer conformatis:

DINDIA · MACOLNIA · FILEA · DEDIT ·
NOVIOS · PLAVTIOS · MED · ROMAI · FECID

In ſupradicto operculo lineis viriculo ductis venatio erat inciſa: in vaſis autem corpore Amycus, & Pollux cæſtibus pugnantes; Navis Argo, Polluciſque ſocii. Amycus ipſe iterum manibus ad arborem alligatis. Dii inſuper certamini præſidentes. Nunc in Muſeo Kirkeriano.

Eodem fere anno, atque loco Patera ex ære. In ea viriculo lineis ductis corona inciſa, intra quam Dianæ effigies, juxtaque eam Luna falcata, antiquis characteribus hoc nomine adſcripto LOSNA. Ad ejus pedes nudatus juvenis cæſtibus indutus, juxtaque ipſum columella quadrangula; ſupra columellam ovum. In columella eodem fere litterarum genere inſcriptum AMVCES. Juvenis autem quaſi caput erigens, nudatum alium pariter juvenem, cæſtibuſque armatum ſuſpectans, cui adſcriptum POLOCES. Hæc nomina nihil aliud ſignificant, niſi Dianam, quæ & Luna dicitur, Amycum, & Pollucem; Amycum, inquam illum, qui advenas in Bebrycium nemus ad cæſtuum certamen provocabat, eoſdemque inſidiis circumventos

tos ibidem interficiebat. Cum itaque Argonautæ illuc ſe contuliſſent, Pollux a Rege ad certamen provocatus eſt; ſed in certamine inſidias cum detexiſſet, convocatis ſociis Amycum interfecit [a]. Nunc in Muſeo Kirkeriano.

Anno 1743. in Liberianæ Baſilicæ fundamentis Herma, cum Epicuri, Metrodorique diſcipuli capitibus conjunctis, quorum nomina in extremo litteris græcis inciſa.

Anno circiter 1743. grandis Later cum hac Inſcriptione:

IMP. CAES. NER. TRA. AVG.
EX FIGLI. MARCIANIS
C CAL FAVORI

Anno 1744. in villa Tiburtina Hadriana Mulier ex marmore ſtatura bene magna, caput habens floſculis coronatum, floſculorumque faſciculum dextra præferens, tunica, pallioque in parvos frequenteſque ſinus artificioſe, & eleganter contractis. Eam alii Floram, alii Sabinam, alii aliam eſſe dictitarunt. Nunc in Muſeo Capitolino.

Anno 1743. in Cæliolo antiquus Pes Romanus ex virga ærea omnino quadrangula uſque ad extrema, ſexdecim uncias continens ſuis quaſque punctis diſtinctas. Conſtat ex duabus partibus omnino æqualibus, quæ-

a *Valer. Flac. Argonaut. l. 4. v. 148. & ſequ.*

quæque duobus minutis axiculis conjunctæ erant, ita ut flecti, plicarique poſſet in modum circini. In uno ex ejus latere juxta angulum clavuli minimi duo inſerti. Nunc eſt in Bibliotheca Vaticana.

Anno 1744. in SS. Martyrum Cryptis Sarcophagi duo marmorei, in quorum altero Muliebre pectus, & caput cum hoc epitaphio:

MM
AVREL
EXTRICATAE

In alterius operculi fronte venatio: Apri nimirum audaces venatoribus obſiſtentes; Cervi vero, damæque timidi ab iiſdem venatoribus irretiti. Nunc in Muſeo Capitolino.

Anno 1744. in Hadriana Tiburtina villa venuſtus Puer ex marmore Pario Harpocratis veſtitu, atque habitu. Nunc in Muſeo Capitolino.

Anno 1744. in Prædio Capituli S. Mariæ Majoris extra Portam Salariam, cui prædio nomen *Salone*, & ubi fons Aquæ Virginis, Sarcophagum marmoreum ſatis amplum, in quo inſculpta Amazonum pugna admodum eminentibus figuris. In operculi fronte aliæ ex ipſis flentes, aliæ manibus ad tergum alligatis. Intra Sarcophagum humana oſſa, flaveſcenſque pulvis. Exiguus præterea annulus ex auro factus, cui illigati erant ſmaragdus quadrata, & charchedonius ro-

tundâ formâ nonnihil acuminata. Nunc in Muſeo Capitolino.

Anno 1745. in vineto PP. Ordinis Prædicatorum Nationis Hibernæ ad antiquam viam Præneſtinam Tabula marmorea, in qua hæc Inſcriptio:

D. M.
M. AVRELIVS SYNTOMVS. ET.
AVRELIA MARCIANE. AEDIFICIVM
CVM CENOTAPIO ET MEMORIAM
A SOLO FECERVNT SIBI ET FILIS
SVIS AVRELIO LEONTIO ET AVRELI
AE FRVCTVOSAE ET LIB LIBER
POSTERISQVE EORVM

Anno 1745. non procul a S. Sebaſtiani Æde extra Portam Capenam Aræ duæ. In alterius uno latere Miles armatus in Tauro equitans mulierem verſus humi jacentem procurrens, dexterâ poma, fructuſque alios porrigens, ſiniſtraque manu cornucopiæ tenens. Ea vero in veſtimenti ſinu poma pariter, fructuſque alios continens, quos adſtans luſitanſque puer contingit. Hæc omnia juxta ædificium quadrata forma encarpis uſquequaque ornatum, adjectis faſtigio etiam pinnis, & ex interiori parte tribus cupreſſibus ſeſe erigentibus. In alio ejus latere victoria alata Trophæo coronam imponens; in alio Victimarius bovem comprehenſum tenens, Sacerdoſque velato capite pateram.

ram. In alio denique intra quernam coronam hæc Inſcriptio:

I. O. M. SOLI. SARAPIDI
SCIPIO. ORFITVS. V. G
ſic
AVCVR
VOTI. COMPO. S. REDDITVS

In alterius Aræ lateribus ductis ſcalpro lineis rudi opere arma inſculpta. In facie vero hæc Inſcriptio:

M. D. M. ET ATIDI
L CORNELIVS SCIPIO
ORITVS V. C.
AVGVR EX. VOTO
TAVROBOLIO. SIVE
CRIOBOLIO FACTO

Ara utraque nunc in Muſeo Capitolino.

Anno 1747. prope Urbis mœnia ad Portam Latinam in hortis quibuſdam ad agrum vulgo *la Ferratella* appellatum, Venator marmoreus ſtatura magna pinûs arbori innixus, ſiniſtra manu ſcipionem, dextera vivum attollens leporem. In baſi inſcriptum POLITIMVS. Simulacrum eximia pulchritudine. Nunc in Muſeo Capitolino.

Anno 1747. trans Thermas Diocletianas in vineto Patrum Societatis Jeſu ingens Arca ex lapide Tiburtino. Operculum duabus partibus erectis conſtabat ita ut altera alteram verſus propenderet, angulumque latiorem efficeret. In unius lateris parte ſuperiore inſculptum erat FVLMEN DYUM. Cæterum hujuſmodi U infra rotundatum in aliis antiquis monumentis inveniri, oſtendit Cl. Senator Buonarruoti [a], & P. Lupi in epitaphio S. Severæ pag. 113. Monumentum hoc nunc eſt in Domo Probationis S. Andreæ Soc. Jeſu.

Anno 1749. in ſilva Pamphilia ad Portum Antiatem Herculis effigies vermiculato opere ſive muſivo, ut ajunt, expreſſa mulieris habitu, atque veſtitu cum colu, & lana, filum inde pollice deducentis. Leo inſuper Geniique duo.

Anno 1749. in vineto Patrum SS. Coſmæ, & Damiani, quod eſt in Aventino, Fauni duo e marmore tibiis canentes, & ad unius pedes vitulus humi jacens. Nunc in Muſeo Capitolino.

Anno 1749. in Antiate Principum Pamphiliorum villa Statua Anubidis Heroico habitu, atque veſtitu, dextera Siſtrum, ſiniſtra caducæum tenens, in auribus Lothi florem habens. Nunc in Muſeo Capitolino.

Anno 1750. ad Portum Antiatem Jovis ſignum e marmore dextera fulmen tenentis, ſiniſtra manu haſtam puram, cum Aquila ad ejus pedes. Nunc in Muſeo Capitolino.

Eodem anno in Inſula Tiberina Statuæ duæ conjun-

a *Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti &c. in Præfat. pag.* XXII.

junctæ. Altera viri nudati, galeati, atque haſtati, cum thorace ad ejus pedes; altera mulieris tunica indutæ, viri humero manum ſiniſtram ſuperponentis, dexteramque ſuam ejus pectori admoventis. Veturia Coriolanum placans exiſtimata eſt. Nunc in Muſeo Capitolino.

Benedicti XIV. P. O. M. juſſu anno 1748. collocata fuerunt in Muſei Capitolini Canopo ſimulacra Ægyptia plura non ita multos ante annos in Hadrianæ Tiburtinæ villæ Canopo reperta. Inſigne illud eſt Capitis bifrontis hinc fœminæ, inde bovis ex nigro marmore egregie ſculptum, ſimulacrum ſcilicet Iſidis, quæ bos ex homine eſt, ex bove facta Dea. Impoſitum eſt Lothi flori tamquam baſi. Statuæ ſunt ibidem aliæ quinque ex eodem marmore nigro, ſed albis maculis diſtincto; inſculptis in eis etiam arcanis Ægyptiorum notis [a].

Benedicti XIV. Pontificis juſſu e conductitiarum quarumdam domorum fundamentis non procul ab Sancti Laurentii in Lucina Æde erutus eſt Obeliſcus ille ex Thebaico lapide erectus olim ab Auguſto in Campo Martio, de quo Plinius l. 36. cap. 10. *Ei*, inquit, *qui eſt in Campo Divus Auguſtus addidit mirabilem uſum ad deprehendendas Solis umbras, dierumque ac noctium magnitudines*. Translatus ex illo fundo in editiorem locum, ab omnibus conſpiciendus. Stylobata ex eodem Thebaico marmore Inſcriptionem hanc habebat in duplici facie:

CAE-

a *Vide* Muſeo Capitolino, o ſia Deſcrizione delle ſtatue, baſſirilievi &c. *& P. Vulpium Latii Prof. Tom.*

CAESAR DIVI I F
AVGVSTVS
PONTIFEX MAXIMVS
IMP XII. COS XI. TRIB POT XIV
AEGVPTO IN POTESTATEM
POPVLI ROMANI REDACTA
SOLI DONVM DEDIT

Stylobatæ huic ſuberat alius e Græco marmore. Sed de hoc obeliſco ſupervacaneum eſt plura dicere, cum de eo præclare, & erudite ſcripſerit Cl. Abbas Angelus Bandini Florentinus.

Extra Portam Capenam ædificium muris lateritiis pulcherrime extructum, ubi teſſellato opere menſes expreſſi, quorum unus ad Emum Petrum Cardinalem Othobonum pervenit. Annus non indicatur.

Ibidem aliquot ſimulacra marmorea, quorum duo Juliæ Titi erant; tertium Dianæ Luciferæ. Eadem nunc in Muſeo Capitolino. Annus non indicatur.

Quarto ab Urbe Lapide prope viam Præneſtinam Cella ſepulchralis, ubi picturæ nihil decoloratæ. Pavimentum Ophite, & Porphyrite ſtratum; ibidemque grandis Arca marmorea ſtriata: intra eam vas pulcherrimum ex alabaſtrite: intra vas ipſum Bulla aurea. Circa ſepulchrum vero plura columnarum, aliarumque rerum fragmenta. Annus non indicatur.

Tertio ab Urbe Lapide non longe a via Præneſtina ad collis cujuſdam radices ſepulchralis Cella, in

qua

qua urna fictilis; intraque urnam annulus pondo ſex aureorum Venetorum, illigatumque annulo plaſma ſmaragdinum, in quo Spei erat effigies inciſa. Annus non indicatur.

Extra Portam Eſquilinam nunc S. Laurentii, in Cœmeterio ad Campum Veranum Tabula lapidea, in cujus altera facie Inſcriptio Ethnica, in altera Chriſtiana.

D. M.
Q. MEDICVS AVG. LIB
A SOLO SIBI FECIT
HOC CEPOTAFIV QVI
NTA VITALIS FILIA MEA
POSSIDEBET SINE CONTRO
VERSIA

☧ CONSTANTIV DISCOLIO
FRATRI SVO BENEMERENTI
QVI VIXIT ANNIS PLVS MINVS
LXIII. BENEMERENTI IN PACE.

Eſt in Muſeo Kirkeriano. Annus non indicatur.

FINIS.

QVÆDAM SCITV DIGNA

DE ANTIQUIS COLUMNIS,

NEC NON

DE CRATERIBUS, SIVE BALNEORUM LABRIS

IN FRANCISCI FICORONII

ADVERSARIIS REPERTA.

ANtiqua marmora ex nativo ipſorum colore plerumque hoc tempore nominantur. Marmor albo nigroque coloribus variatum (*bianco e nero antico*) uſque adeo rarum eſt, ut ſinguli ex eo palmares cubi veneant quamplurimi. Pauciſſimæ ex eodem hodie extant columnæ. Quatuor pulcherrimæ ſunt ad aram S. Ceciliæ in ſacra ejus Æde transtyberina. Nuper erutæ duæ aliæ ſunt, quarum longitudo palmorum eſt circiter novem, craſſities duorum; viſuntur in officina Franciſci Ceroti ad hodiernum forum Boarium.

Marmor viride antiquum maculis exiguis albis diſtinctum appellatum fuit Lacedæmonium, & etiam viride. Magno pretio venit, ſed minoris, quam album, & nigrum.

Alabatritæ, (quod & Onychites) plura ſunt genera ob diverſos colores, unde nomen traxit.

Eſt *Cotognino*, quia eo eſt colore, quo mala cydonia ſunt.

Agatino, ita dictum, quia multis veluti ocellis diſtinctum, ſimileſque tæniolas, ac venas habet earum, quibus Achates orientalis diſtinguitur.

Fiorito, & *a pecorella*, quia florum, & velleris ovilli ſimilitudinem habent.

A preſciutto, quia duas oblongas faſciolas perpetuas oſtendit, quarum altera alba eſt, altera rubra, illarum inſtar, quas in diſſecta perna conſpicimus.

Roſſo antico, illud, quod rubro prorſus eſt colore.

Africano, illud, quod ex Africæ montibus fuit advectum colore ſubobſcuro, maculis albis, & quaſi corallinis.

Porta Santa. Ita appellatum, quia ex eo Portæ Sanctæ Vaticanæ ante olim effectæ ſunt ceraſi pallentis colore.

Pavonazzo, vel *pavonazzetto*. Ejus maculæ caudarum pavoninarum ſunt ſimiles. Extant nunc ex eo columnæ non paucæ; tabulæque plurimæ erutæ fuerunt anno 1722., quibus peramplæ quædam aulæ in monte Palatino cruſtatæ fuerant.

Giallo antico. Marmor flavum: ex eo extant Columnæ plures; ſed pro macularum varietate hujus ipſius

mar-

marmoris varia ſunt nomina : aliud enim coloris plane aurei, *giallo antico in oro*; aliud palearum, *giallo in paglia*; aliud denique, tamquam glareæ lapillis diſtinctum, *giallo in breccia*. Ex primo flavi marmoris genere Hadrianus Imperator centum ſeptuaginta duas immanes Tabulas in Tiburtinum ſuum aſportari juſſit: in una earum Romam advecta verba hæc erant inſculpta: HADRIANI AVG COS II N CLXXII., in ejus cavo prope extremitatem plumbeum ſigillum inſertum erat, in quo ejuſdem Imperatoris caput expreſſum. Ad viginti cubicula in hunc modum conſtrata, & conveſtita ibidem reperta ſunt.

Broccatello, ita dictum, quia textilis ſerici illius figuram habet, ac ſpeciem, quod ab Italis eo vocabulo nominatur, magna ex parte flavum, ſed caſtanearum veluti colore circumlitum, & ex Hiſpaniæ montibus erutum.

Marmora *a lumachella*, *e pidocchioſo*, ita dicta, quia colore parvarum concharum, & pediculorum ſpeciem referunt. Hæc quidem vulgatiora ſunt, ſed alia, atque alia in dies nova marmora innoteſcunt.

Et quidem centum generum ſpecimina, ut ſibi ſeligerentur, atque ſeponerentur Ludovicus XIV. Galliæ Rex omnium primus mandavit. Et ego ipſe centum ex hujuſmodi marmoribus laminas a Franciſco Guidotto Lapicida peritiſſimo, ob id ipſum quadratas, lævigatas, ac perpolitas aſpexi. Cujus rei ſtudium alii poſtmodum principes viri æmulari conati ſunt, ſimileſque lapideas tabellas ſibi perficiendas curarunt; quarum ſi quis ordinatam ſeriem habere cupiat, eam apud Lapi-

cidam præſtantiſſimum in hodierno ſoro Boario Nicolaum Minellum inveniet, apud quem marmora hujuſmodi ſuis unicuique nominibus appoſitis venalia ſunt.

Equidem quadraginta ante annos marmorum veterum, & præſertim columnarum cognoſcendarum ſtudio ſacras Urbis ædes, unà cum Lapicida peritiſſimo Franciſco Guidotto ſæpenumero perluſtravi. Summamque columnarum conficiens (habita ratione majorum, & minorum) ſexies mille, & trecentas omnino eſſe comperi. Cum iterum eas etiam, quæ ſunt ex Thebaico lapide (*granito orientale*) dinumerarem, partim in Panthei Porticu, & in Templo S. Mariæ Angelorum ad Thermas Diocletianas, partim in ædibus Cancellariæ Apoſtolicæ, & Principum Burgheſiorum, partim in Religioſorum Virorum cœnobiis, & privatis domibus, minoribuſque Templis, & pluribus aliis in locis ad mille, & ſeptingentarum numerum perveni. Quem quidem numerum ſi prioribus addas, octo millia columnarum antiquarum in Urbe nunc extare omnino dicenda ſunt.

Dicam nunc pauca de Crateris ad aquam ſalientem excipiendam, ſive de Labris, quorum plurimus erat uſus in Balneis, & quorum nonnulla adhuc Romæ ſuperſunt.

Ex hujuſmodi vaſis ſingulare illud eſt, quod in Ædibus Ducum Roſpillioſorum nunc viſitur ex marmore Lacedæmonio figura orbiculata. Aliud eſt ovata figura ex alabaſtrite, in cujus facie pardi caput eſt ſculptum, ejus ambitus palmorum eſt viginti quinque, altitudo palmorum quatuor. Repertum fuit in Villa La-

bica-

bicana Julii Cæſaris, ubi teſte Svetonio teſtamentum fecit. Locus corrupte nunc dicitur *S. Ceſario*.

Aliud in S. Bibianæ figura ovata ex alabaſtrite, in cujus facie Pardi caput ſculptum; ejus ambitus eſt palmorum viginti quinque, altitudo palmorum quatuor.

Aliud in S. Crucis in Jeruſalem ovata item figura ex baſalte prorſus nigro Æthiopico: unaquæque ejus facies quatuor Leonina capita habet exſculpta; ambitus palmorum duodeviginti, altitudo palmorum trium.

Aliud figura item ovata ex Porphyrite in Baſilica Liberiana.

Duo in Æde Sanctorum Quatuor ſub Ara maxima, quorum alterum ex lapide Thebaico, alterum ex Porphyrite.

Aliud orbiculata figura, in quod influit aquæ rivus, ex lapide Thebaico albeſcente cum quibuſdam nigris tæniolis, poſitum eſt in hodierno foro Boario; ambitus eſt palmorum nonaginta duorum.

Aliud in Templo Aracœlitano figura ovata ex Porphyrite.

Aliud in platea S. Marci, in quod aquæ rivus influit ovata & ipſum figura ex lapide Thebaico, ejus ambitus palmorum viginti octo, altitudo trium.

Aliud in ſecundo Sacello ædis S. Marcello dicatæ, & in dextro ejus latere, ex Porphyrite ſatis amplum, in cujus medio caput Leoninum ſculptum eſt.

Aliud non diſſimile intra ædem S. Bartholomæi in Inſula Tiberina, ex Porphyrite, in cujus pariter facie caput Leoninum exſculptum figura ovata; longitudo eſt palmorum circiter undecim, latitudo quatuor, alti-

altitudo trium. In ea conditæ ſunt Apoſtoli Beatiſſimi reliquiæ.

Aliud in S. Coſimati ex lapide Thebaico ovata pariter figura, & in utraque facie Leonina capita ſculpta.

Aliud ad Forum Farneſianum ex lapide Thebaico rubris maculis variato, ovata item figura; longitudo palmorum circiter novem. In illud ex larva parieti adhærente aquæ rivus influit, vulgo *Maſcherone di Farneſe*.

Alia duo perampla ex Thebaico lapide in ipſo foro Farneſiano, unde aqua in ſubjectum lacum delabitur, in quarum facie unaquæque Leonina capita. Utriuſque longitudo palmorum eſt circiter viginti quinque. In Thermis Alexandri Severi reperta ſunt.

Alia duo etiam ampliora ex lapide Thebaico albeſcente, ovata pariter figura, in villa Medicea, quæ eſt in Monte Pincio ſita, in quorum facie qualibet Leonina capita. Alterius longitudo eſt palmorum circiter duorum & triginta, alterius viginti ſeptem; reperta olim in Thermis Antonini Caracallæ.

Aliud ex lapide Thebaico rubeſcentibus maculis in aditu plateæ S. Petri in Vaticano, figura quadrangula, cujus facies longa palmos viginti novem,

Alia duo in Foro Vaticano ex lapide Thebaico, figura orbiculata, unde magna aquæ copia in alveum ſubjectum delabitur.

Aliud ex Porphyrite ovata figura, quod olim tamquam operculum Imperatoris Othonis II. tumulo impoſitum fuerat. Extabat olim in ſubterraneo Vaticano Templo, indeque erutum, & ex inaurato ære emble-

emblematis ornatum Sacram Baptiſmatis Aquam nunc continet.

Aliud ex Porphyrite figura orbiculata ex villa Julii III. in Cavædium Regiæ Pontificiæ Vaticanæ translatum.

Aliud in ejuſdem Regiæ Cavædio maximo, ex Thebaico lapide albeſcentibus maculis, figura item orbiculata, erutum ex Titi Veſpaſiani Thermis, de quo Torrigius in Opere de Sacris cryptis Vaticanis.

Aliud item ovata figura ex Porphyrite, quod in Pontificiæ Quirinalis Regiæ ad excipiendam ſalientem aquam eſt poſitum.

De aliis, quæ ſunt apud Emum Cardinalem Alexandrum Albani jam ſupra diximus.

ADDITAMENTA QUÆDAM
EX COMMENTARIO
CL. SENATORIS
PHILIPPI BUONARRUOTI
SIC INSCRIPTO

Oſſervazioni ſopra alcuni frammenti di vaſi antichi di vetro,

Quæ ad nonnullas ex hiſce Ficoronianis Gemmis magis magiſque illuſtrandas plurimum conferre poſſunt.

Ad Tabulam II. Gemm. Antiqu. Litterat. *num.* 20. *pag.* 14.

CL. Buonarruotus Tab. XXVII. Fig. 1. Neque mirandum eſt, inquit, hos equis honores eſſe habitos, eorumque nomina effigiem, & victorias exculptas in marmoribus antiquis quaſi in poſterorum memoriam extare. Etenim tam chari Dominis erant, tantoque in pretio habebantur a populo, ut palmarum, coronarumque præmio non ſecus atque ipſi agitatores afficerentur. Mitto avenam, qua publice alebantur, quemadmodum docti viri factum eſſe aliquando oſten-

de-

derunt: De corona certe illis impoſita teſtis eſt Plutarchus: *Solus*, inquit, *equus inter animalia cætera pugnarum, & coronarum eſt particeps* [a]. A poëtis equi victores ἀεθλόφοροι dictitantur, hoc eſt, *qui in certamine præmium adepti fuerint*; & etiam ςεφανήφοροι, *qui corona donati ſunt*. Et inde factum eſt, ut in gemmis eorum imagines, cum palma dorſo eorum incumbente inciſæ reperiantur, vel juxta ipſum equum, & aliquando etiam coronæ.

Ad eamdem Tab. num. 21. *eadem pag.* 14.

CL. Buonarruotus Tab. XXVII. Fig. 1. Præter acclamationem, inquit, qua aurigatori plaudebatur, ſunt etiam in hoc noſtro vitro quatuor equorum nomina. Et certe etiam Homeri ætate, equis nomen imponebatur [b]. Non ſolum autem fabulæ equorum Solis, Neptuni, Caſtoris, Deorumque aliorum, & Heroum nomina prodiderunt, ſed etiam Hiſtorici Alexandri equum Bucefalum nominatum eſſe teſtantur; Hieronis Pherenicum [c], Fidolæ Corinthii equam Auram [d], Caligulæ inſuper equum Incitatum [e]. Adde illum, cui nomen erat Coraci [f], Imperatore Claudio, alioſque duos, quorum alter apud Martialem appellabatur Paſſerinus, alter Tigris [g]. Poſſem quoque dicere de equo Boriſthene regnante Hadriano [h], & de Veloce regnan-

a *Convival. l.* 2. *q.* 5. *pag.* 639.
b *Iliad. l.* 8. 16. 23.
c *Pindar. Olymp. Od.* 1.
d *Pauſan. l.* 6.
e *Sveton. in Calig.*
f *Plin. l.* 8. *c.* 42.
g *Lib.* 7. *ep.* 6. *& l.* 12. *epig.* 36.
h *Dion. pag.* 792.

te Lucio Vero [a]. De Aquila pariter, & Pegaſo in Anthologia [b] epigrammata duo ſunt. De Phoſphoro mentio eſt apud Auſonium [c]. Quid quod Inſcriptiones nonnullæ apud Panvinum [d], atque Gruterum [e] equorum Circenſium nominibus refertæ ſunt, addito etiam colore, & numero victoriarum. Pauſanias Cleoſthenis ſtatuam deſcribens, qui victor fuit Olympiade LXVI., author eſt, in curru, in quo inſidebat eadem ſtatua, inſcripta fuiſſe equorum jugalium nomina [f]. Idem contingit in Inſcriptione Abaſcanti, de qua Cl. Fabrettus [g]: in ea ſculptus eſt Scorpus ille agitator celeberrimus, de quo ſæpius Martialis. Poſt Scorpi ipſius nomen quadrigas agitantis equorum etiam nomina adjecta ſunt. In nummo maximi moduli ex iis, quos *Cotrones* dicunt, ad Theodoſii Magni familiam pertinente Bonifacius agitator expreſſus eſt, infraque monogrammata quædam, quibus equorum ſignificari nomina aliquibus credibile viſum fuit. De eo vide Ducangium Tab. IV. Eſt etiam alia apud Gruterum Inſcriptio, quam poſtea Cl. Fabrettus caſtigavit, atque correxit, in qua equi gemini una cum eorum nominibus ſculpti ſunt, Aquilo, & Hirpinus. Morellus inſuper in ſuo primo ſpecimine Tab. 3. num. 3. affert duos ex dictis nummis maximi moduli, in quorum unoquoque equus eſt. Unius equi nomen, ut animadvertit Cl. Abbas Vignolius, eſt TOOTES, addita illi nota XX., qui

a *Capitolin. in L. vero.*
b *L. 1. c. 33. ep. 13 & 14.*
c *Auſon. Epitaph. Her.*
d *De Circenſ. l. 1. c. 13.*
e *Grut. pag. 337.*
f *Lib. 6. pag. 362:*
g *Ad Tab. Iliad. pag. 332. & Inſcript. ſelect. pag. 320.*

qui numerus eſt ipſius victoriarum; alterius nomen eſt AMOR [a]. Idem Abbas Vignolius paulo ante exiguam expoſuerat gemmam, in cujus parte adverſa inciſus erat equus cum palmæ ramo, in averſa CRETVS V CCX, ideſt equi nomen ducenties ac decies victoris. In Sarda D. Abbatis Mazoleni, qui Cl. Præſulis Blanchini eſt conſobrinus, inſculptus eſt Auriga, & ad ejus pedes thorax ex faſciis conſutus. Idem Auriga læva palmæ ramum tenet, dextera vero manu frænum equi, qui princeps quadrigarum fortaſſe fuit, & cui potiſſimum accepta referebatur victoria. In ſuperiori autem parte adſcriptum eſt ΠΟΛΥΝΙΚΗϹ, nimirum ipſius equi nomen. Denique Fig. 2. Tab. XXIX. tres equos cum nominibus ſupra unumquemque illorum adſcriptis videbimus.

Ad Tab. III. ſecundæ Partis Fig. 4. pag. 76.

TAbula XXVIII. Fig. 3. vitrum affert, quod in Priſcillæ Cœmeterio menſe Februarii anno 1693. repertum eſſe narrat. Amoris, inquit, & Pſyches fabulam continet. De ea fuſe Apulejus. Ea vero animarum deſcenſum, circuitum, reditumque ſignificabat. Quicumque ex hiſce tribus illarum eſſet ſtatus, Amorem, ſive, ut aliis placuit, Genium ſuperiorem, dominatoremque animæ comitem eſſe volebant: perinde ac ſi arctiſſimo cum ipſa connubii vinculo conſtrictus eſſet. Hæc autem opinio, ſi generatim loquamur de animarum circuitu, a Chaldæis, Perſiſque initium habuit;

V 2

a *Inſcript. ſelect. pag.* 320.

buit; manavit poſtea ad Ægyptios, & Græcos, nec ab ea diſſenſerunt Homerus, atque Virgilius. Platonici vero tamquam omnino ſuam adoptare non dubitarunt. Fabula tamen ab Apulejo deſcripta ſingularia quædam habet, quæ in quibuſdam anaglyphis, vetuſtiſque marmoribus recognoſcuntur. Quamquam proximum ejus fontem occulta, & arcana quædam myſteria fuiſſe non immerito ſuſpicari quis poteſt, quibus alicubi certus Amori cultus aliquis tribueretur. Etenim, ſi recte conſideres, ſæpe quidem fabula hæc in antiquis monumentis exprimitur; de illa tamen nonniſi apud pauciſſimos Scriptores mentio eſt. Et hi quidem recentioris ætatis ſunt. Etenim Apulejus Antoninis Imperatoribus floruit. Martianus vero Capella poſt ipſum vixit, qui tamen in ſcriptis ſuis vix fabulam iſtam attigit. His autem longe recentior Fulgentius, qui ſummatim ea, quæ Apulejus dixerat, complexus eſt. Recentiorem autem vere illum eſſe declarat ejus proëmium, in quo Vandalorum mentionem illorum facit, qui primum Africam invaſerunt, adeoque vixiſſe non poteſt, niſi ſub initium quinti ſæculi æræ vulgaris Chriſtianæ. Quamvis autem Fulgentius ipſe fabulam hanc ab Ariſtophane deſcriptam eſſe dixerit, ſane ab Ariſtophante Athenæo, ut in aliis impreſſis codicibus legitur: veriſimile tamen ſit Scriptorem hunc Apulejo poſteriorem fuiſſe, cum Fulgentius ipſe utrumque nominans, Ariſtophanem, ſive Ariſtophantem ſecundo loco ponat. Quod attinet ad monumenta, in quibus hæc eadem fabula expreſſa eſt, plurima profecto extant. Et quidem in gemmis ſive ſculptis, ſive ſcalptis, ut ajunt, tam

affa-

affabre, & eleganter perfectæ aliquæ reperiuntur, tamque diligenter, & accurate in iis delineatæ ſunt Amoris, & Pſyches effigies, ut ex eo ipſo eorum antiquitas comprobetur. Eminent Amoris, & Pſyches ſimulacra ex marmore conjuncta in Muſeo Magni Hetruriæ Ducis. Singulare ipſarum artificium, atque venuſtas repeti non poteſt, niſi ab antiquiſſima ætate illa, qua apud Græcos Sculptores peritiſſimi floruerunt; adeoque multo ante Romanum Imperium, & antequam Apulejus, Scriptoreſque alii fabulam illam memoriæ proderent. Hæc autem omnia me in eam ſententiam adducunt, ut opiner veteres ideo non tam ſæpe fabulæ hujus cæteroqui notiſſimæ (ut ex antiquis marmoribus patet) mentionem feciſſe, quia, ut antea dixi, arcana in ea continebantur myſteria, quæ illi maxime cavebant, ne palam fierent. Qua quidem in re Scriptores recentiores non tantum ſibi religioni duxerunt ea Lectoribus patefacere, idque, niſi fallor, ut aliquid novi proferrent, ſeſeque eruditos, ac ſcientes homines oſtentarent, cum aliarum nationum plane occulta ſacra in lucem ederent. Et ob eam cauſam nullo habito ad Ægyptios Sacerdotes reſpectu, perſpicue Plutarchus de Iſide, atque Oſiride, Lucianus de Dea Syria, & Apulejus de eadem pariter Dea Iſide juſta volumina confecerunt. Quod autem in anaglyphis, monumentiſque aliis ab hac vulganda fabula non abſtinuerint, hæ potuerunt eſſe cauſæ: nimirum, vel quia non tam facile erat ad intelligendum, quid ſibi ſculptæ illæ imagines vellent, cum Sacerdotes pompas dumtaxat, ſive ſupplicationes ſuperſtitioſas videndi poteſtatem facerent;

vel

vel quia ſimulacra illa facta ab initio fuerant, ut laterent in templis; vel alia tandem rei hujus eſt cauſa, quam plane ignorare me fateor.

Ad Tab. VI. ſecundæ Partis pag. 86.

TAb. XXX. Quod attinet, inquit, ad paluſtres arundines, aptabantur illæ fluminum imaginibus, utpoteque prope flumina, vel in ipſis fluminibus naſci ſolent. Virgilius certe Mincii ripas arundinibus abundantes deſcribit [a]. Bacchilides vero apud Athenæum Nilum δονακώδεα, quaſi arundinoſam nominat [b].

Tab. XXXI. In hoc vitro, inquit, Auriga tamquam fluvius pictus non ſolum dextra paluſtres arundines præfert, ſed iiſdem caput præcinctum habet. Talis eſſe ſolebat fluminum effigies, ut colligitur ex Dione Chryſoſtomo in Orat. 4. de Regno, & ex Donato in lib. 3. Georg. Virgilii verſu 13. Atque ita cum hujuſmodi corona a Poëtis pluribus fluvii deſcripti ſunt; inter quos Mincius a Virgilio [c], Tiberis ab eodem Virgilio, ab Ovidio [d], & a Rutilio [e]. Achelous fluvius Calydoniæ, & Acis ab eodem Ovidio [f], Hylas a Valerio Flacco [g].

Solebant autem artifices hujuſmodi fluminum imagines nudas, jacenteſque fingere, quod eodem loco Dion Chryſoſtomus obſervavit. Præterea eos cubito innixos faciebant, ut perſpicuum eſt in imaginibus, & ex Philoſtra-

a *Georg. l. 3. v. 15.*
b *L. 1. c. 16.*
c *Æn. l. 8. v. 34.*
d *Faſt. l. 5.*
e *L. 1.*
f *L. 9. v. 3. & l. 13. v. 895.*
g *Argon. l. 1. v. 218.*

loſtrato in Theſſalia. Plerumque cubito illo vaſi, vel urnæ incumbebant, quod in hiſce duobus vitris advertere quivis poteſt. Huc ſpectare viſus eſt Statius cum dixit:

In lævum prona nixus ſedet Inachus urna.

Lib. 6. Theb. v. 274.

Lævus arundineæ, recubanſque ſub aggere ripæ
Cernitur, emiſſæque indulgens Inachus urnæ.

Valerius vero Flaccus

Subita cur pulcher arundine crines
Velat Hylas? Unde urna humeris, niveoſque per artus
Cæruleæ veſtes [a]?


Poeta hîc Hylam fluvium urnam humeris geſtantem facit, fortaſſe quia fons ille in Bythiniæ monte altiſſimo ſitus. In partibus averſis nummorum, eorumdem cuſores modo magis, modo minus jacentes, modo ſtantes, vel quaſi ſtantes finxerunt; ut hoc pacto varietatem curſuum declararent; quorumdam enim placidus, atque facilis curſus eſt, quorumdam vero vorticoſus, ac præceps. Cornucopiæ fluminibus pariter tribui non ſolum Tiberis, Nilique ſtatuæ Belvederianæ in Vaticano demonſtrant, ſed etiam anaglypha ex marmore, nec non nummi plurimi præſertim græci. Id autem ad agrorum ubertatem ſignificandam, quæ fluminibus magna ex parte debetur, quotieſcumque intra ſuos fines, & ripas coerceantur. Atque hæc opinio Strabonis eſt, anonymique libelli græci, qui inſcriptus eſt *De Incredibilibus*, quemque primus omnium Cl. Leo Marius in apertum protulit. Hi enim omnes in eam, quam dixi, ſen-


a *Argon. l.* 1. *v.* 218.

ſententiam Acheloi fluminis fabulam explicant, qui cum in Taurum ferociſſimum ſe transformaſſet, domitus ab Hercule fuiſſe dicitur; huic Heros unum ex cornibus divulſum Nymphis dono dedit. Hæ autem omni pomorum, & fructuum genere referſerunt, itaque locupletatum Acheloo ipſi flumini eſt redditum.


Cæterum, humaniſſime Lector, hoc monitum te paucis volo, cum ruſticandi cauſa profecturus jam eſſem in Tuſculanum, commentaria hæc jam typis edita, me nonniſi feſtinanter recognoſcere potuiſſe: quare ignoſcas velim, ſi nonnulla minus latine dicta exciderunt, cujuſmodi ſunt *ſtellula* pro *parva ſtella*, *animalculum* pro *exiguum animal*, *æquivocum* pro *ambiguum*, *defodere* pro *effodere*, in Præfatione *exiſtimare* pro *exiſtimari*, & ſimilia.


FINIS.



I.
1
MVLTIS ANNIS
2
PUDEA
3
PATIE NTIA
4
FRVOR
5
AMOTE AMAME
6
AMOR MEVS
7
LIBOSAE CONIVGI
8
CVCV NELA
9
BAROSE RECTE
10
HAVE
11
EGRE GINIC
12
SPES
13
MASACR VIRHONE
14
VENI SI AMAS
15
HCCX
16
VERE CVNDVS
17
TESAY RICVS
18
CP
19
HILARVS
20
COETE
21
ATIMETI AV
22
DAMA
23
FDCOR VS
24
FAV STI
25
MVSICVS
26
MCLN MSPC
27
CCKIC
28
F R
29
COM VNIS
30
AVX ILI


II.
1
MVSIS
2
LDPAP
3
HIL
ARI
4
DA
MIKAE
VICTORIA
5
CCIXC
6
MAD
7
F
S
8
P.C.R.S.
9
TALISIA
10
AVG
TAV
11
HERMES
12
BONA
MENTE
13
SEN
TOR
14
CEGNATI
15
SPE
E
B M
16
SECVN
DA
17
EVC
ARI
18
FLPR
19
SEX.POMB.BACCHI.
20
21
TVR
22
PROTO GENIS
23
RV FI
24
CALOS
ACTI
25
TERTI
CNCAT
26
X
27
KAA
TH
AIC
CEPH
NOY
28


III.


SALVS RE
STITVTA
HIL
A
G P
R F
RE NE
HER MES
M·IVLI
ΠΑΝΤΑ
ΚΑΛΟΣ
VI
MX
COMIN
IA CLOE
ΩΑΡ
XXV
H
M
Π
DVLCIS
AMOTE
SVAVI
VITA
AMOR
DVLCIS



IV.
1 APRO VIB
2 HEREN NIO
3 TCIV NIANV
4 TE VI
5 CORIN T.HIAS
6 VRSVLÆ VIV
7 DOMIN V.CAC
8 VNN
9 C CEM I
10 PVBLI
11 POLY TIMI
12 A·L·A
13 SECVNDI
14 P.E.P
15 AEMI LIA
16 ELYON
17 PETRONIA RVFINA
18 VNIO ANIMA SVAVIS
19 ACTEI
20 ING ATI
21 CARPERO S
22 L L PLICINI
23 TIVLIVS AMANDR VS
24 AMYNTAS
25 FELI CALI
26 SAFR
27 PRIMA TES PRO
28 ACEA
29 FELIX XI XVI VABA


V.
1
CWΦP
ΠPIM
AΔEΛ
2
CIC
3
OΔΔA
OTOS
4
BIA
V
5
MNH
CON
6
ΦΛH
7
OΔECTOC
8
KOTIONOC
AΠOA
9
ΦC
ΔP
10
KΛY
HEΛΛ
11
MΛPINW
12
MNHM
O
NEYE
13
OPΦEOC
BΛKKI
KOC
14
EYYM
ΦI
KOY
15
EYTYKI
16
OVPΓINIA
ΘEOΔOT
H
17
ΦIΛW
NOC
18
M
OKTΛBIOC
CEKOIN
ΔOC
19
ΦΛCMOY
20
ΛMYNTΛY
21
A
KIPIAC
ΛΓPIΠEINAΣ

VI.


1
ΟΔΟΥϹ
ΓΡΗΓΟΜ
ΝΗϹΟ
2
ЄΥΒΟΛΟΥ
3
ΘΑΓΑ
ϹΟΔΗ
4
ϹΑΡΟΥΝΟΜΑϹ
5
ΙΡΗΝΗ
6
ΜΑΡΙΩΝ
ΜΑΡΙΩΝΟ
ΑΡΧΩΝ
7
PHOEN
IXVA
8
ΦΟΙΒЄ
ΙΩΝ
9
ΨΥΧΗ
10
ΕΙΡΗΝΗ
ΧΡΩ
11
ΦΥΛΑ
12
ΛΥΠ
ϹΙΜΠ
ΛΙЄ
13
ΙΟΥΛΙϹ
ΤΕΡЄΝΤ
ΙΑΝΟϹ
14
ΜΝΗ
ϹΟΝΒΑϹΙ
ΕΑЄΙΑΑ
ΡΟΥ
15
ΙΦ
ΙΟΥΛΛΟ
Ϲ
16
ΤΝΑ
ΝΙΙΙΜ
ΟΥ
17
ΤΙΓΡΙϹ
18
ΘЄϹ
ΚΛЄ
ΠΤΛ
19
ΚΥΡΙ
ΧΑΙΡЄ
20
ANFT
21
ΟΥΑ
ΛЄΡ
22
ΕΠΑΙΝΟϹ
ЄΙΦΙΤΩ
ϹΥ
23
ЄIBOVON
24
ΑΡΛΔΥЄ
ΛΧΑΝ
25
ΚΟΡΥΜΒΟΥ
26
ΙЄΡΑ
ΤΙΚΟϹ
27
ΑΝΤ
ΩΝΙΝ
ΟΥ
28
IVNIAF
29
ΒЄΡΟ
ΝЄΙΚΗ
30
ϹΩΤΗ
ΡЄϹ

VII.


1 IVSTA VITA
2 DVLCIS VITA
3 GRATA
4 TE EGO AMO
5 P+OEBVS
6 Q F C M F A C O S
7 I V I V E Q
8 AV
9 AVX ILI
10 FAV STI
11 PHOEN IXYA
12 TC IV NIANV
13 CINVRA CORINTHI HAVE
14 MVSICI
15 * Q * DEMASK * * *
16 VITA TIBI
17 VERE FELIX
18 ATTI KIANA
19 VTERE SEBERINE FELICITER
20 DEVSD EDIT VIVAS INDEO
21 ALA
22 STROMA TEVS
23 C.EGNATI
24 PIOSKA AI
25 PVBLI
26 OLIM MNY
27 CONSERVA * TRIXPIA
28 V I X M
29 ATHE NAIS AV
30
TOM

VIII


Q·SEM·Q·F
R·A·S
C·P·S
DON
ATA
ALBIN
AVCTILVS
EROTIS
MIL
FDCOR
VS
V·F·S·
Q·SALO·PHONI
HIERAX
VA
C·CRAEC·AN
VRBANI
CASTRE
SISVA
ATT
ΑΛΟΙ
ΤΑΒΕΡΒΕΡΕ
ΤΕ
ΒΡΑΔΥΣ
L·V·A·I·
HELVIAE
SAL
ΙΑW
CAW
ΑΔWΝΙ
VNIO
ANIMA
SVAVIS
POLA
N
MAXIM
AE VI
TA

Tauola I.



T. II.



T. III.



T. IV.




T V.



T. VI.



I.VII.



T. VIII.



T. IX.



T. X.



XI


1



2



3



4



5



6



7



8




9



10






A·B·C·D· Pezzo dell'obeliſco che ſi tira su
E· 4· Capre F· Code delle capre G· Traverſe

Alzata dell' Obeliſco di Campo Marzo


R· Maeſtro Nicola Zabaglia Ingeniere di S. Pietro

H·I· Altra traverſa L· Polise M· Polise legate o
linea del tiro N·O·P·Q· Quattro argani





Gio Batta Sintes Sculp.



SPECIAL 93-B
3724

·O·